Nr 8.

8°

Komora proz. 63

I E 89 b

1. Casimiri Zawadzki Speculum in Capitibus Imperii Sarmatici Romani
2. Theophili Sigefridi Bayeri de Numis Romanis in Agro Prussico repertis.
3. Ejusdem de numo Rhodio in Agro Sambiensi reperto Dissertatio.
4. Christiani Friderici Renschii de tumulis et Urnis sepulcralibus in Prussia.
5. Polnische Legations-Reise welches der Bärstlichen und Groß-Britannischen Allianz gestalten auff dem Reichs-tag zu Grodno 1726. gnädigen Befehl
6. Idem Scriptum Latinè sub Titulo Rom. Polonica ex Comitiis grodnensibus de Legatis Pontificis Maximi et Regis Magnæ Britanniæ etc.
7. Gespräch im Reich der Todten zwischen Stanislao auß Pohlen, und dem Prätendenten Jacobo III. auß Engelland.
8. Unterredung eines Gespräch im Reich der Todten, zwischen der Königin von Pohlen, Christiana Eberhardina, und Königin von Dännemarck Louisa.
9. Gespräch im Reich der Todten 152ten Entrevüe zwischen denen Printzen Eugenio von Savoyen, und dem Printzen Jos. Emanuel von Portugal von Galen.
10. Gespräch im Reich der Todten 161ten Entrevüe zwischen dem Könige in Böhmen Wenceslao, und Uladislao Jagellone Könige in Pohlen.
11. 12. Gespräch im Reich der Todten 162. und 163ten Entrevüe zwischen Alberto dem ersten Hertzogen in Preussen, und Christiano Ernesto der Letzt verstorbenen Königin von Pohlen Printzen Vatern.
13. Gespräch im Reich der Todten 164ten Entrevüe zwischen dem Könige von Dännemarck Christierno, und Sigismundo I. Könige in Pohlen.
14. Joannis Benjamin Draghelm Vita Jacobi Henrici Zemeke Professoris Theologiæ Thoruniensis.
15. Christophori Coleri Laudatio Martini Opitii

SERENISSIMO
AC
POTENTISSIMO
IOANNI III.
POLONIARVM
REGI
ORTHODOXO
Verè repræsentans Speculum,
Anomaliam
IN
CAPITIBVS IMPERII
SARMATICI
à
CASIMIRO ZAWADZKI
Castellano Culmensi, Gubernatore
Lipinensi.
Humillimè ejus Majestati Oblatum.

Anno Salutis, M. DC. XC. Idibus Februarij.

VARSAVIÆ Impressum
Nunc vero
LVBLINI Typis Coll. Soc. IESV A. Dñi 1716.
Reimpressum

BIBLIOTHECA ZIEMI STAROSTWA LUBELSKIEGO

IOANNES III.

DEI Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithvaniæ, Ruſsiæ, Pruſsiæ, Maſoviæ, Samogitiæ, &c. &c.

CErtos Libros Magnifici CASIMIRI ZAWADZKI Caſtellani Culmenſis, videlicet *Tractatum in Anomaliam Capitum Sarmatici Imperii, & Annales Comitiorum Regni. ſub tempus Regiminis olim Sereniſſimi Anteceſſoris Stri Michaëlis Regis celebratorum*, Authoritate Noſtrâ Regiâ approbamus. Datum in Arce Varſavienſi ſub tempus Comitiorum Regni Generalium die Menſis Anno Domini MDC XC. Regni verò Noſtri XVI.

JOANNES REX.

L. S.
Cancell. Regni Maioris

VVlgata paræmia est: *Sub CLYPEO felicius succedere pacis negotium.* Hic felici omine in spem & vota publica assurgit expectatio: quòd Gentilitius Majestatis Vestræ *CLYPEVS* Serenissimæ Genti ejus in pignus & securitatem duraturæ felicitatis à bona Fortuna porrectus, Civilis Administrationis grande opus, Reipubl. status restituet tranquillitatem. Nam defectus Libertatis, par regendo Orbi sanabit Prudentia; diffidentiarum incommoda, vasta animi superabit magnitudo; bellorum ardua, nescia vinci infra se despiciet fortitudo. Videre enim Principem in armis fortem, in consilio prudentem, ingens sæculorum labor & Phænice rarior Suprema Regnorum Fortuna est. Te Princeps Serenissime literis & armis instructissimum, ideò cælestis favor Polonorum Reipub. obtulit: ut pacem sapientiâ firmares, Imperij Majestatem fortitudine attolleres. Vtriusq; felicitatis *CLYPEVS TVVS* interpres est, quem dum universi mortales Palladis esse opinantur, velut ad tesseram suæ Stationis, non modo o-

mnis armorum, sed etiam studiorum libenter accurrit claritudo. Vtere Princeps Magnorum Imperatorum, magnis exemplis, & quidquid à cognata tibi Pallade venit, insitâ animi magnitudine, *tenues quamvis non despice curas*. Mihi satis erit: Iudiciô potiùs, quàm beneficiô tanti Principis dignum esse.

Amphi-

AMphilogicus hic sermo de Reipubl. Polonæ Symmetria non tàm ingenium quàm judicium admittit in consilium, nàm post tantum sæculorum ambitum præsentium morum imbecillitatem, cum antiquæ virtutis firmitudine, vel incorruptum libertatis vigorem cum præsenti licentia morum comparare, & exinde de diuturnitate Statûs Reipublicæ defectibus ejus & quibus medijs restitui posset, ex condigno decernere: tam propè est hic labor ab excelso Stagyritæ judiciô, quàm non multùm distans ab irrito exitu anceps opinio. Nihilominus tamen ut olim Roma, ita hâc tempestate chara Lechia acutissimi Politicorum sententiâ in summâ quamvis morum corruptela libertatem posset conservare: *si & novis Legibus vitia quæ grassantur, subindè emendaret: & Legum fundamenta, ipsas antiquissimas ferendarum Legum creandorumq; Magistratuum consuetudines planè immutaret, & præsenti Statui accommodaret.* Nam illud salutare Alcibiadis monitum: *Eos hominum tutissimè agere qui præsentibus moribus legibusq; etiamsi deteriores sint, minimum variant, Reipubl: administrant.* in depravata penitus Repl: etiamsi retine-

tine-

tineri posset; tamen non expediret. quia in corruptissima Rep: pessimorum civium recens pravitas, antiquas leges ad explendam malignitatem sibi tantùm obtentui sumit. quod depravatarum penitùs Rerumpl: certissimum & fatale phœnomenon esse civilis adinvenit prudentia.

Peren-

PErennem semper Reipublicæ spectare felicitatem, unicum boni Civis votum est: inconcussum vovere Statum, inter obligationis fideiq; vincula numeratur. eam Reipublicæ Polonæ sive augurari beatitudinem, seu cupere solo voto reddere beatam, aut error aut inertia est. Quæ enim corruptissimis moribus Respublica diuturnitatis consors esse possit; multò minùs inclyta Sarmatarum Respublica, in qua firmamentum olim libertatis vox interdicendi à malignis Civibus in telum Parricidij reperta est in qua desijt esse remedio locq: dum quæ olim flagitia fuêre, jam placidi mores sunt, & assvetudine peccandi, faciliùs manifesta mala tolerantur- quam correctionem exorbitantia vitia patiuntur. Vbi quidam furor est

---- *ubi empti Quirites.*

Ad

Ad prædam strepitum q; lucri suffragia vertunt: in qua vidimus *Leges fixas toties pretio atq; rifixas* Commun is hæc imò familiaris nuntiorum Terrestrium, quæ olim Bizantini oratoris licentia fuit; *is interrogatus, qualis Bizantii lex esset, qualem, inquit, ego volo.* & ne quid venales conscientias ex inhoneſto lucro fallat: *etiam silentia pretio exponunt.* Ioannes Franciscus Cardinalis Comendoni post mortem Sigismundi Augusti à Summo Pontifice in Poloniam Legatus: acutè notans defectum hunc Libertatis, *Poloniam morbo Comitiali laborare, dixit,* scilicet morbum Reipub: ex nimiâ libertatis licentiâ indigitans.

IVS

IVS COMITIORVM.

ITaque ante omnia de Comitiis agendum est, quæ unicum Reipublicæ Theatrum, & inviolabile, nisi licentia Civium oppugnetur, Libertatis sunt munimentum. Nam immensus Civium ambitus (quod malum quomodo in Rempublicam irrepserit, & quibus artibus ad eam formidabilem molem pervenerit, postea dicemus, ubi de Magistratu ratiocinium venerit) privatæ immemor Sortis, & nullis iam Fortunæ contentus pomærijs, quonam modo turgentes cupiditates suas expleret, non nisi per dispendia Publicæ rei adinvenit. Postquam enim simulatoribus amoris in Rempublicam dolus non succesit, aut Regibus tentamenta Dominationis, retrogrado successu abiêre, ob libertatē Popularium conatibus eorum adversam utriq; Reipublicæ infensi, corruptos in omne nefas Palatinatuum Nuntios, conducta scilicet in exitium libertatis licentia, liberam vocem effrænata libertate opprimere aggressi sunt: ut sic nimirum faciliùs

libertas libertate periret. Evulgatô hôcce in exteras quoq; Nationes proſtitutæ Reipublicæ Arcanô, tranſcendit hæc quoq; ad illas licentia, & inſtillatô potentiſsimis Civium profuſarum largitionum illiciô, factionum amore, convulſa Comitia, eluſa cum vicinis fœdera, illuſi toties per interceſsionem aut corrupti ſpe vanâ ſocij. hinc noſtri contempt⁹, & ſæpiùs ad ſui munimentum in bellorum diſcrimina præcipitatio, tanquam inſenſati Populi, ſi pereat, vile ſit exitium. Nam poſtquam nihil tam ſolenne malignitas Civium in corrupta Republica invenire potuit, quàm per præcipitationem Comitiorum illudere viribus, orbatæ vi Conſilij Reipublicæ, mox hanc ſtatûs diſſolutionem, motus Civiles, dein bella externa & proſcriptis velut Legibus ac ſemotâ è conſpectu Ordinum publicâ Statûs tranquillitate, horror & fatalis continuâ malorum ſerie confuſio occupârunt. Sed quêadmodum Democratica Nuntiorum Terreſtrium poteſtas Anno 1468 à modeſtia Civium & ſolo nudoq; boni publici amore auſpicata initia ſumens, Libertatem in immenſum propagavit,

Regni

Regni terminos dilatavit, gloriam & existimationem Orbis totius præclarè & fortiter gestis sibi conciliavit: ita corruptissimô hôc sæculô proscriptis Majorum Institutis & morum innocentiâ pro prisca modestia vanam magniloquentiam, pro libertate licentiam, usurpans; libertatem veram, quæ boni publici heroicus amor est decus,& magnarum gentium, imperium amisit, nulla reliqua meliori spe: quàm ut post tot clades, suam corrupta libertas intrà paucos soles Crisim experiatur.

Enormi huic malo,& insurgenti contra ipsa naturæ jura licentiæ,quomodo occurri posset?ne unius Comitialis temeritas, tot Civibus, Provincijs, ac Gentibus, post profusum toties impunè sangvinem Polonæ pubis, tot ereptos Reipublicæ egregios Exercitus, vim sese in extremis periculis tuendi auferat, magnorum in Republica Virorum Sententia personabat: ut lege Publica seriò caveretur; ne cuiquam facultas esset Comitia disturbandi, nisi in materia, unde Legi Publicæ manifestum præjudicium afferri posset. Severiores alij censebant: ejusmodi au-

sum non nisi permissô Reipublicæ judiciô coerceri posse. Vtrumq; medium prosperioris eventûs dubium est, at præsẽti Reipublicæ statui proculdubiò ominosum. nam illud restringit libertatem, alterum penitus inducit servitutem. Si enim evenirets ut Restrictionem vi Legum vox libera pateretur, nihil ea ratione in publicum proficeretur. nam factionibus innutriti Cives, aut nimiâ potentiâ subnixi, Legum interpretationem ad sua trahendo consilia, flagitiosissimo cuiq; facinori facilè possent subvenire: atq; hinc multò atrocior malorum in Rempublicam prorumperet cataclysmus. Iam severitate Reipublicæ & terrore iudicij ejusmodi excessum vindicare, duplici occurrit ratione, aut iudiciô Palatinatûs? cuius Deputatus facinus subiret, quod tantum nunquam ad effectum deduci posse ideo constat, quia ejusmodi Civis, qui tam nefario operi manum admoveret, non propria id libidine eo rerum statu sed potẽtissimi cujusq; ope[illegible] auderet, â quo in Conventibus districtuum præsentem operam tuitionemq; sui, & scelerate causæ expectaret. Rursus si Equestris Rotæ vel universæ Rei

publi-

publicæ in Comitijs judicio ſiſteretur, non diſparſontem præpotentibus iuuandi ratio & major certaminum ocaſio. dum peſsimi mortalium malæ cauſæ largitionibus empti accederent, boni favore & liberæ vocis periculo, utriq́, cauſis quãvis diverſis ad eundem Reipublicæ maturandũ interitum animarentur. Quod ſi tamen vincentibus ſufragijs unum aut alterum Civem Reipublicæ judiciô plecti ob exceſſum liberæ vocis cõtingeret, paulatim **Lex Majeſtatis**, quaſi ob malè geſtam **Rempublicam**, quæ **Romanam Monarchiam** tot per annos exedit, Cæſaribusq́ initiũ tyrannidis præbuit, ſub alijs alijsq́ nominibus introduceretur, idq́, quod auxilio eſſe debebat, in mucronem verteretur induſtrijs Principibus & Dominationem ex occaſione temporum captantibus ad jugulum libertatis.

Quare undiq́ acriter penſitatô, an coerceri tam altè radicatum vitium in extrema morum corruptela poſſit? an coercitio & novorum Inſtitutorum contra fundamentales Regni Leges introductio plus damni in Rempublicam ferret? quàm indecorum attrectare, quod ægrè per cla-

des

des & armorum rabiem obtineretur, & ad extremum retentum, tot cædes illustrium Virorũ, tantum metûs & crudelitatis, excidium deniq; Statûs universæ Reipublicæ poscere? satius esse, omittere potiùs adultum & prævalidum vitium, quàm id assequi, cui flagitio impares simus. Illud tamen aliquam medelam afferre posset: si Equestris Populus Nuntijs Terrestribus non vi novæ alicujus Legis, sed vigore, laudi & Articulis Instructionum adimeret omnem activitatem, donec magnæ illæ solẽnitates Comitiorum præmitterentur; illas enim si Equester Populus ritè Sanctèq; observet, validissimis Arcanis contra nocivam & sæpe exorbitantem reliquorum Ordinum potentiam munitus est. Intempestivis contradictionibus, & licentiâ vocis, cuncta miscendo, fit: ut tanta præsidia à Majoribus Equestri Ordini tuendæ libertati relicta; cõcessa temeritati, malignitate in suimet vertat exitium. Nã dum excipit Equester Ordo vota Senatorum, an non de affectu singulorum Magnatũ in Rempublicam, prudentiâ & dexteritate informatur? hic fœdos adulationibus, aut addicti-

ores

ores Dominationi, quàm libertati & Legibus, notare deberet, & insigni judiciô investigare: an flagitiosa paupertas in Proceribus prodigentiæ socia? an à natura inditi serviles motus (*quia pronior in obsequium alter*,) abjectô animô causam dent turpitudinis? unde deinde circa distributivam Iustitiam Principis, commendatione vel resensu (in quibus exactissimum semper populi judicium est) dedecus publicum ab indignis, vel libertatis damnum ab infensis aut corruptis evitare posset. At distributionem vacantiarum, dum Majorum juxta Regni Leges, Minorum ex dignitate cujusq; singularum ex honesto & utilitate publica, à Principe urget, duo assequitur: ne fædi vitijs consecuto honore egregium publicum dehonestent, vel prævalidi Civium nimiùm è Republica sumendo formidabilem potentiam suam in dispendium Status Reipublicæ vertant. à qua Majorum prudentia præsentis Reipublicæ Cives, resoluta de Incompatibilibus salutari Lege, infausto omine aberrârũt. iam per redditionem SENATVS CONSVLTORVM, non modò ingenia & artium subtilita-

tilitates penetrari ex calliditate consiliorum, sed ipsa etiam calliditas per combinationes ex necessitate causarum potest delibari. postremò vi temporis & explicantium sese per infallibiles proportiones & connexiones emergentes effectuum, matura & abstrusa quæq; cognosci valent machinamenta Dominationis præsenti semper, nisi sibi obstet libertas, adversus prægnantia mala, armata remediô ADIVDICIA COMITIALIA Regni dum invitatur Nobilitas, nonne satis præsidij habet? ne Principes obtentu Legũ & hâc Regiâ velut viâ Dominationem inducant ad exitium libertatis.

IVS CREANDORVM MAGISTRATVVM.

MAGISTRATVS porro quomodo in perniciem Reipublicæ diverterit? altiùs repetem⁹. Circumspecta olim Majorum prudentia, duratura cõtra temporum iniquitatem jaciendo libertatis fundamenta, tum adversus contagionem ambitûs & morum corruptelam muniendo Rẽpublicã, sancita de INCOMPATIBILIBVS Lege, satis adversus exundantem Civium potentiam

tiam profeciſſe, videbatur. Sed poſtquam ex triplici Regiminis ſpecie ſatis validè conſtituta Reipublicæ forma à Potentiſsimo Ordine imminui cæpit: ſtatim factionum amor, contumacia erga Leges, & infiniti pænè defectus adverſùs Rempublicam inualuêre. Poſtquam enim infenſi Principes Libertati coalita diuturnitate Imperij audacia, promptiùs Civium potentiâ (ſi illam immenſùm adverſùs Rempublicam inſtruxiſſēt) quàm proprijs viribus conſequi Dominationem prævidiſſent: in ferociſsimos Civium aut ſeruituti maximè obnoxios, validiſsimas Præfecturas, potentiſsima Regni Officia, militarem Dictaturam (armādo velut unius privati vires contra totius Reipublicæ robur) cōtulerunt. Illi gnari cujus ſpontè præficerentur, non ampliùs pro decore publico aut Reipublicæ bono contendere: quando nulla illis ampliùs ex honeſto ſpes, ſed publica mala in occaſionem gratiæ verterētur, ſtimulāte ſemper acerrimè priuati commodi ratione; dum quæ olim non niſi ſummo labori & ingentibus in Rempublicam meritis, tantæ nimirum virtuti præmia conferri moris eſſet, tum

solo favore Principis & studijs inanibus ad spem etiam majora consequendi, ipsa denicq; facilitate tribuentiũ ad servitutis officia accendebantur. At militares Duces, ad quos ùt summa potentia pervenit, ità in ijsdem vastus exarsit ambitus, iamq; pro temporũ ratione modò Regib⁹, modò Reipublicæ ac libertati metuendi & terribiles spectabantur. nã quod non modò ob armorũ possessionẽ magnâ potentiâ, verùm etiã ob præstantissima Regni Officia, quandoq; etiã contra Leges in se cumulata nimiâ authoritate instructi essent, sæpiusq; in Rempublicam peccâssent: tacita suspicionum, invidiam Magnatum, odium publicum metuentes, undicq; sese munire, clientelas comparare, validissimum quemq; Provincialiũ, aut vi, ac impetu eloquentiæ potentissimũ obstringere largitionib⁹ cæpêre: corrupta etiã ac resolutâ penitùs nimiâ lenitate militari Disciplina; adeò ut Duces non jam ampliùs in Reipublicæ potestate essent, sed Respublica militari Ducum licentiâ, quoties & ubi vellent, plecteretur. Ergo quoniam Reipublicæ interitus placuit, his cuniculis Regni status ab ingeniosa, in

damna

damna libertatis Dominatione subrui cæpit. Collati enim Magistratus contra Legum præscriptum, excellenti ambitioni Civium, quam elati animi in libera Republica tantò magis fovendo urgendoq; ad quævis facinora subeunda, dum voti compotes fierent: ad perniciem Reipublicæ viam monstravêre. non enim æqua potestas, sed quæ dissona publicis statutis & morib⁹ adversa habetur, omni statui perniciosa est. Nam postquàm à pessimis Principibus, magis, quorum in manu essent Magistratus, quàm ut incolumis haberetur Respublica, quæri cæptum est: ad summas potestates assumebantur illi, qui præsentem statum Reipublicæ oderunt; postremò ad illum supremum errorem deventum est: ut summa Administrationis Reipublicæ ijs Civibus cederet, qui affecti injuriâ erant, aut existimarentur. Ità sivè malignitate hominum, seu irrevocabili Fatorum dispositione, potissimùm tamen his artibus Mutationi status & resolutioni ruituræ in præceps Reipublicæ satis provisum esse.

Proinde cum Creatio Magistratuum maxima

pars muneris Imperatorij eximi è Distributiva Principum Iustitia non posit, ob fundamentales Leges & summi Ordinis Majestatem: unicum tamen tam vicini Reipublicæ Fati remedium erit; si supremos Magistratus non sinat esse diuturnos, nihil enim tam utile Reipublicæ ubi ~~enim~~ modum egressa ambitio nimiâ spe potentes exerceret cives, quàm brevem potestatem esse, quæ magna est. hanc triennij tempore circumscribi sinè ulla Prorogatione ulterioris potentiæ saluberrimum esset præsentis Reipublicæ statûs munimentum. nam non modò periculosus Civium ambitus & impotentes curæ plusquàm Civilia agitandi restringerētur, ex diffidentia ob brevitatem temporis difficilis spei cõsequendi eventûs, verùm etiam ingens recluderetur campus exercendæ Civium industriæ, cùm præstantissimi quiq; abdicatis fallacibus curis & inanium spe, non jam nimiæ potentiæ studiô, sed sola magnitudine gloriæ famæq; ad Nobilissima pro Republ. subeunda facinora animarentur. neq; mediocres opes, nè ipsa quidem egestas, cùm multis gloriæ fuerit bene tolerata paupertas

pertas, ad ſummos in Republica capeſſendos honores obſtare deberet, quādo in Prototypa cæterarum Romana Republica cunctis Civium, ſi bonis artibus fiderent, licitum fuiſſe petere Magiſtratus, non enim magnitudo opum & lubrica fama ter Conſulis Filium eſſe, ſed virtus & animi Nobilitas & quæ ad ſumma quæque natos monſtrat morum dexteritas ſpectari in Civibus debet. Ad hanc attēdens egregius & circumſpectus in creandis Magiſtratibus Tiberius; Nobilitatem Majorum, claritudinē militiæ, Illuſtres domi artes ſpectando; ſatis monſtrabat, non alios potiores fuiſſe. Nè depoſito quidem Magiſtratu privatæ ſortis aſpectus; ullam motui animorum occaſionem daret, cùm vitæ privatæ conſcientia unicuique Civium familiaris, bonos moderatione & prudentiâ, turbidos & vetita cupientes, difficultate & periculô negotij in officio erga Rempublicam haud difficulter retineret. Nam ſi ad gloriam modeſtiæ Summi Viri in Romana Republica ceſsit, an non æquiùs de togata Polonorum Gente illud Lucani uſurpari poſſet, patefactô per ejuſmodi Creationem Magiſtratuum virtuti Civium honoris Templô.

& exacto gloriosè Magistratu; quid dehonestamenti adferre posset? si Consul, qui hodie insignis Majestate incessit, cras minùs venerandus ad privatum spectaretur Curius focum. Ità quæ nũc Remp: ob extremam ambitionem Civium, ex perpetuitate Magistratuum præcociſsima ad maturam perniciem urgent mala, ob circumscriptam Legibus gerendi Magistratus convenientiam & vallatam suis Cancellis potestatem, ex Civium modestia insignem spem ac robur firmitudini statûs sui proculdubiò adderet,

IVDICIA ET EXTREMA PROVOCATIO.

PVblicam Iustitiæ formam si spectes, ex laudatiſsima Iudiciorum Cõstitutione & egregia circa IVS VITÆ & NECIS majorum dispositione, minimum libertati imminere periculũ, satis securâ, si per mores nostros liceret, à Dominationis artibus Republica. Præviderant sanè primi libertatis Conditores excelsa Sarmatici Populi ingenia, cum quibus nunquam convenire possent addictiores Domini aut misceri

Do-

Dominationis artes: hinc crebras offensiones Principum, & exinde validis motibus initia aut libertatis periculum suspectantes metuentesq́, fundamentalem Legem, seu feroci Principum ingenio, seu vetustate Imperij coalitæ audaciæ & insuper subnixæ Iuri Majestatis de vita & nece Civium, validissimum velut munimentum objecerunt, non dispar ab illo glorioso elogio inviolabilis quondam Romanæ libertatis: CIVIS ROMANVS SVM; Poloni Statuti decus: NEMINEM CAPTIVABIMVS, NISI IVRE VICTVM. Iam ab impetu Dominationis munita esse Libertas videbatur, at ob multitudinem negotiorum, affluentiam causarum, sæpiùs ob incuriam Principum adhuc ex privatorum dissidiis & malè exercita Iustitia extra periculum læsionis non erat constituta. Ea sapientissimus & soli gloriæ intentus Princeps STEPHANVS BATHORÆVS prævidens incommoda, & altiùs suspiciens ingenia Regum in vindictã prona, populi violentiam, & certam exinde quandoq́ secuturam Reipu: cladem, si Reges, aut Legi vim facerent, aut ferox Populus ad occasi-

casionem injuriæ, levibus momentis impelli facilis, ad impatientiam furoremq; moveretur. sive callidus regnandi noverat in restricto Imperio ex manca potestate plus incõmodi, quàm lenocinij referri ad Imperantes; & quæ retineri ex dignitate non possent, ante necessitatem remitti cum gloria. Equestrem Ordinem in possessione Iudiciorum Tribunaliciorum Anno 1578 locauit, & omne IVS tradidit; rescissa etiam à supremo Iure Imperii & liberaliter concessa, EXTREMA PROVOCATIONE.

Hinc solenne illud in suprema Camera Tribunalicii subsellii emersit; non modò Magnatum sed Regum ipsorum literas, non nisi post latam resignandi sententiam. Postremò nè ex Comitialibus Iudiciis quidquam discriminis in Rempl: redundaret, accitus in Senatum per Deputatos suos Equester Ordo, omnem penitus solicitudinem sustulit. Illud solùm anxietatis & periculi plenum est, inductus scilicet novissimis hisce temporibus mos, augendi Deputatorum ex Equestri Ordine numeri ad causas Perduellionis, nam nisi id à Nuntiorum Collegio

spon-

ſponte ſua ob metum præjudicii libertatis fiat, non Magnatum factione, aut Principum arte & impulſu eveniat, in certiſsimam Reipub: verſurum perniciem. Illa enim appendix novarum Conſtitutionũ: PRO HAC VICE TANTVM; quæ veterum Legum reſolutio eſt, præſtigiæ tãtùm & blandimentum ſunt irrumpentiũ ſub his lenociniis vitiorum: quæ optimas quaſque & validissimas Leges, per malignitatem & licentiam ſub obtentu gravitatis & Civilis providentiæ ſubruerẽt tollerẽtq́, & introductô ſemel à validis contra imbeciliores nociuô exemplô, ſæpe nunquam ampliùs concedi regreſſum ad meliora. quia vitia in defectuoſa Republica, plùs ſuâ ſpecie nocent, quàm proſunt vetera proborum morũ exempla. Quod verò in ordinario Civilis juſtitiæ curſu nimiâ proceſſuum morâ injuria juſtitiæ fiat, & ab omnibus incuſetur: Quodvis Majeſtatis LVBOMIRSCII judiciô & inſolitâ cathaſtaſi enormiter Statum Reipubl: perculerit, & Civilibus diſcordiis pænè confecerit, parata ad fatalem vincentis Dominationis ictum (ſi ità Fatis viſum fuiſſet) exangui libertate: nõ

exactis Reip: Institutorib⁹ & egregiis id Legib⁹ adscribendum esse, sed malignitati Magistratuum, qui ob ambitum, aliquando ob avaritiam, cuncta Legũ munia in se trahentes, admissâ interpretionum subtilitate, & prædandi materiã Advocatis patefecerunt, & cõtemptum Legum induxerunt. non tam, quàm verè, sed quàm pulchrè & ornatè dicatur, attendẽtes. hinc statum quisq; suum meliùs eloqentiâ quàm innocentiâ tueri promptum habebat. Ità deficientibus in corruptelam Reipub: moribus, summi quoq; Ordinis suprema potestas velut contagione affecta est: & quia cunctis mali Regiminis cupidinibus flagrans Princeps speciem indicii & convictionis in liberum & innocentem Civem induere pro voto nõ potuerat, ad vim Dominatonis conversus; ingenti terrore monstravit Reipublicæ, quàm vastus esset impetus malè cõvenientis cum libertate Majestatis. Vnde certissimum est: quòd nec mali mores, nec corruptæ Leges tãtum damni dare possint quantùm mali Magistratus ad ruinam contribuant Rerumpublicarum. Sic vitijs nostris & corruptis moribus

bus trudimur in præceps, fruſtra Fata incuſantes, quorum acerbitatem malignitate noſtrâ provocamus. Hinc tibine Roma, an de te veriùs Polonia cecinit Malaterra: *Dum juſta ſectabaris fruebaris proſperis.*

Vſum porro remedii circa Comitialia Iudicia Civilis prudentia monſtrat; ſi Principem à vanis conatibus alienũ veræ gloriæ ſtudiũ & trãquilli ſtatûs felicitas ſatiet, ſubditos poſt tot malorum experimenta in officio rectè parendi neceſsitas contineat, univerſis in obſervandis antiquorũ Inſtitutis ad perſvaſionẽ publica utilitas ſufficiat. Compendium Civili Iuſtitiæ afferret, ſi perpetuô curſu ſinè ulla innovatione (quæ sẽper plùs vanitatis in exitu, quàm lucri habet) Majoris Poloniæ Petricoviæ, Minoris Lublini, Tribunalitia Iudicia celebrentur. Hâc methodô & cognatâ ſalubritati ſimplicitate ſubtilitas mediorum evitatur, quæ plerumq; circa correctionem morum innovationi obnoxia eſt. quidquid autem mutatur, in deterius converti. quia omnis innovatio in corrupta Republ: in tempeſtivis remediis acriùs accendit vulnera, quæ

etiamsi primâ facie non appareant, interjectu tamen temporis sentiuntur,

IVS RERVM SACRARVM

NOn Regum Potentiæ obnoxium, non Legibus Regni restrictum: sed in libera Repub: liberrimum esse. At in absolutis cæterarum Gentium Regnis pro conditione temporum & ingenio Regum limitationes patitur; in Gallia etiam magis luribus subjicitur Dominationis, quàm Pontificum regitur Conciliis; nam si Leges in Regno Franciæ Matrimoniorum & consvetudinem ferendorum tributorum, aut reliqua bellorum onera consideres, nihil in hac parte potestatis deprehendes Ecclesiastico relictũ esse Imperio. In Polonia fragore bellorum & communis metu periculi ægrè ad societatem publicorum onerum vocantur: jam facti ut tributa tolerent, nondum ut in ea liberè sponteq; consentiant, accedit in grandiorem partem venerandæ potentiæ, quòd in Senatu & Tribunalitio subsellio primas authoritatis teneant, magno per omnes Reipubl: Ordines Religionis ac Ecclesiastici statûs non modò honoris sed &

uti

utilitatis compendiô. Et quia tantâ authoritate instructus, primitùs agebat incorruptus Ecclesiasticus Ordo, Exemplari ubique pietate facilè ferocem dispersumq; Populum & exinde Religionibus, suomet ingenio obnoxium, diu in probitate morum non sinè insigni ab intrà tranquillitatis Reipub. statûs emolumento tenuit obfirmatum, servavitq;. Hactenus Religio valuerat. Augustaneis primùm temporibus segniùs fieri cæptum est, publicâ circa pietatis artes socordiâ, & quia externæsuperstitiones Augustanæ licentiæ inualescebant. sic semper ritus Sacrorum etiam inter ambigua culti, tum per prospera obliterabantur. At postremis hiscè temporibus sæviùs irrumpente in Ecclesiasticum statum luxu, resoluta pietas, & per libidines & malum otium refrixit charitas, abundavit iniquitas, concidit authoritas. Postremò gravior his omnibus Reipubl: statui nimia spiritualium Magistratuum potentiæ affectio extitit. nam sicut utilis quondam illorum modestia Reipub: fuit, ità novissima ætate vastus ambitus in summum periculum vertit.

Pra-

Pravo huic & nocivo malo ad labefactandum penitùs Reipub: statum & eradicandam vel ipsam proborum morũ memoriam, obviam iri posset: si Principes non ab Aulæ & Sigilli; sed à Sepulchri CHRISTI & pietatis Custodia, viris egregiè probis, quamvis mediocri sapientiâ instructis Primatialem conferant dignitatem quẽadmodum enim seneſcentis orbis ætas clareſcẽtibus vitiis multum de virtute deminuit; ità declinantes Reſpublicæ, non dispari ab Athenienſis Reipub: fato, tum vel maximè ingeniosis & celebratissimis abundant viris; cùm perire incipiunt: non vitiô præstantiæ Civiũ, quæ incrementi & conservationis Regnorũ parens est, sed defectu probitatis. nam virtutes & vitia in Rempub: non tã ex Legibus rectè aut siniſtrè latis solẽt dimanare, quàm ex Personis probè aut transversùm institutis. Magistratus enim, cùm Sphæra publica cuiusq; Activitatis sit: quæ si insolentib⁹ committatur, ex obliquo cursu damna in Rempub: proveniant, si ad probos & modestos transferatur, ex justo & debito actionum modo felicitas & quies rectæ statûs Administrationis documenta promanabunt. In hominibus

porrò usu Aulæ & continuæ simulationis artibus ad velanda odia humilibus blanditiis & mox reddenda exercitis, ad abscondenda flagitia factis, vel vitiis specie virtutum similibus, cæteris mortalium ad illudendum paratis, quæ possit esse pietas ? & quid mirum? quòd sæpè aut Regibus formidabiles, aut Reipub: sint exitiosi. In universum statui Religionis consuli posset, cuius quidquid donatur integritati, in omnium fertur utilitatem: sic acerrima Lege firmissimè constituatur, ut nemo Dissidentium in perpetuum capax sit Ordinis Senatorij, neq; ad Tribunalitiam dignitatem admittatur. Hôc unô mediô Sigismundus III. scaturientem Sectariis Senatum Publica ijs tantùm concredens munera, qui Majorum suorum fidei & Religioni essent addicti, repurgavit. Magnô non modò priscæ Senatûs dignitatis, sed & Ecclesiæ honoris incrementô. nam vera pietas Populorum, adversûs plurima odia & dissẽsiones Civium præsentissimum ex stricta Religionis observantiâ habet remedium, præsidium experitur.

Ex

Ex hac occasione præsentis Tractatûs quæri non incongruè posset, an Ecclesiasticus Ordo Constantini aliorumq; Imperatorum & Regum indultis concessa sibi immunitate in universum à Tributis excusari possit? sed facilis est hujus dubitationis solutio, ex supremi Capitis Ecclesiæ decisione Matthæi Cap. 17. dicentis ad Petrum: *ut autem non scandalizemus eos, vade ad Mare & mitte hamum & invenies staterem, illum sumens; da eis pro me & tè.* Paulus etiam ad Romanos 13. nè temporum necessitate abusus contra probum morem inductus esse videretur in commune protulit: *Omnis anima potestatibus subdita sit, & deinde: ideo & Tributa præstatis.* Proinde ejus modestiæ sibi Summi Pontifices conscii præsertim in iis, quæ ad salutem & conservationem Politicæ Administrationis Regnorum status pertinerent: Caleasius ad Anastasium, S. Gregorius Mauricium Imperatores, agnoscere sese dependentiam suam profiteri literis non erubuerunt. Et illud aureum Gratiani Imperatoris Statutum; an non conforme saluti Imperiorum & exactis prudentiæ Legibus? *ut singuli bono publico obedirent ex officio subveniendi, sine ullis immunitatibus pro dignitate concessis.*

Ve-

Verum quidem esse, quod Ecclesiasticus Ordo in Polonia, tot Diplomatibus Principum, Privilegiis Regũ, CASIMIRI IVSTI, BOLESLAI PVDICI, VLADISLAI IAGIELLONIS, CASIMIRI MAGNI, LVDOVICI, SIGISMVNDI, STEPHANI, &c. Statutis Regni, Constitutionibus Reipub: solidissimè fundatis gaudeat immunitatibus quas continuò non modò abusu & violentiâ militari imminui, sed etiam fraude Legum 1563 & 64ti scatente eâ tempestate sectaris Senatu, dein 1609 ni. circumventas esse & gravioribus indies posthac affectas præjudiciis. dũ non modò communi Tributorum pensione, sed insolito Hybernorum onere affliguntur. Cui tamen calamitati & sævitiæ militaris licentiæ, non vanis querelis & intempestivâ ursione â Repub: restitutionis in integrum Iurium Ecclesiæ Sacrum Ordinem subduci posse (quippe calamitosa Reipub: tempora, extremæ paupertati obnoxia, introductus contra majorum Instituta abusus, adversùs recta consilia pervicax) sed ratione modoq; quibus publici mores cor-

rigi, Reipublicæ egestas *Ordinario & Perpetuo Contributionis genere* firmoq; subsidii modo sublevari, Disciplinæ militaris (nec Majorum institutis nimiâ jam indulgentiâ licentiæ ad vitiorum dulcedinem assvefactus, nec præsenti Reipub: formæ, ob immoderatam antiqui moris&severitatis cupidinẽ infensus) patiens haberi Exercitus possit.

ARMA ET ARMORVM. VSVS

COmmunem omnibus Rebuspublicis Fati Legem nunquam diu duraturæ potestatis, Inclyta quoq; Sarmatarum Respublica jam pridem impleviſſet: nisi statim Leges,& libertatem, armorum præsidiô, contra injuriam muniviſſet, res militares, Legibus. adversùs temporum licentiam firmâſſet, non ignara; quòd parùm tuta Legum Majestas sinè viribus esset, & periculosa arma, statim usurpatâ licentiâ regere Regentes, nisi vi Legum severè regantur. Hinc communi magnis Imperiis methodô, nascenti primùm Fortunæ suæ, continuô ARMORVM VSV militavit, creatiq; Palatini, qui ad Imperium Ducum aut Principum, armatæ Nobilita-

bilitatis quisq; suæ Satrapiæ Ductores essent. peragebanturq; expeditiones, præstante VIRITIM NOBILITATE bellicum obsequium: donec ferocissimus, ac bellicosissimus PRINCEPS BOLESLAVS, Callidus Romanæ Reipub: instituti, quod ad promptiorem felicioremq; expediendi negotii cum hoste eventum plurimúm referret, si summis viribus ageretur, Nobilitatem ex FACVLTATIBVS BONORVM & amplitudine redituum ad bellicum necessitauit servitium. Nullus illâ mavortiâ ætate ex luxu metus, vix in necessitates belli & usum armorum sufficiente censu. non serica vestis mollisq; toga, sed tygridum ursorumq; pelles, non mitiora Sarmatûm tegebant pectora, & nidore obsiti squallentesq; Viri horrori cæteris mortalibus erant, solo nitore armorum fulgentes commendabantur, continuis expeditionibus ità assuefacti: ut labores itinerum, duritiem Cæli, inopiam commeatuum, pulverem solemq; non inter militiæ incommoda, sed necessaria inter, & honesta robustioris vitæ censerent oblectamenta ità fortibus Sarmatis bellare risus: vincere, ludus erat.

tum solida domi quies, & adversùs externa floruimus, cùm perpetuas excubias pro Regni gloria, indefessa Sarmatarum ageret fortitudo. Sed postquàm subactis Provincijs & excisis Gētibus steriles campos Nobilitas occuparet, ac velut à Romanis deductarum per Orbem terrarum Legionum more, fessis Nobilitatis viribus subveniretur: nihilq; ad Reges ex infructuosis bellis præter tædium laborum, & magnitudinem expensarum provenirer, primò dispendia sua, dein numerum & incrementum Nobilitatis (quæ continuis bellis magis proficeret viribꝰ, quàm attereretur) cum potentia sua comparentes, paulatim cæperunt ad otium invitare vacationemq; à muneribus belli promittere, si in TRIBVTVM consensisset. Primusq; VLADISLAVS REX consensûs gratiâ, qui difficilis inter armatos & dispersos sperabatur, publicos Conventus, per Palatinatus Terrasq; Nobilitati concessit, æstate exactâ apud Regnicolas Majoris Poloniæ; ut ferociſsima quondam pars Populi, regiq; difficilis, lenitate Regali & comitate mansvescerer. postea Corcini etiam Co-

mitia

mitia cum Deputatis Nobilitatis civiliter celebravit. Ab hoc actu statim bellorum amor deflagrare cæpit, Nobilitas mitescere, tandem & otium laudare, ac objectâ libertatis dulcedine, cunctas Patriæ curas, illius amore viliores habere. tum compositis ritèq; ordinatis viribus, opibus studere, & immensùm attolli, dein exactâ ad amussim prudentiæ roboris sui magnitudine, nè levibus bellis majori opum dispendiô, quàm fructu victoriæ misceretur, stipendiarium militem ad subita belli & minorum occasionum momenta auctoravit, armavitq;. tandem ingens gloriâ Equester Ordo & apud Orbem auctus existimatione, concessâ sibi à bellis requie, placitô semel militiæ genere retentô, tantùm ad paucorum quatuor, aliquando sex millium numerum redacto Exercitu, provisis stipendiis sub AVGVSTO REGE ex CENSV QVARTÆ PARTIS REGALIVM BONOrũ, acerrimis Legibus ad militarem disciplinam adstrinxit: ne metu hostilis potentiæ, aut penuriâ commeatûs, ullâ denicq; calamitate pressus in viscera Regni progredi auderet, sed in confi-

niis perpetuò pro Patria excubaret, ibi æstatem rigidamq; hyemem, solô stipendiô contentus, toleraret. Reges etiam indies venerationi Majestatis suæ prospicientes, quô se incommodo ducendi Exercitûs exsolverent, simul ingruentē magnitudinem bellorum cum robustissimis vicinisq; Gentibus, multitudinem Polonæ pubis considerantes, quamvis modicis tum copiis duos militiæ Duces subalterna potestate præfêcere, ut alterius curâ, provisu, consilioq;, nitescerēt, alterius laboribus ac vigiliis attolleretur Respublica. Nec improbari id posse institutum, quamvis notorium esse tot experimentis constet: quòd plurium imperium bello sit inutile, & ex æmulatione, dum ad sua quisq; tendit cōsilia, & fortunam belli moratur, excidisse voto Rempub: acceptas ab hoste clades. quid quòd duorum ambitu distrahi Exercitum? & intentiorem esse disciplinam, ubi milites ab uno reguntur. Verùm hactenus nihil periculi in Rē-pub: ex Regimine duorum accidisse, quippè prudenter distincta Legū Præscriptio, inter Duces officiorum munia, & introducta in dignitatum

tum gradus potentiæ inæqualitas, utriusq; frænavit ambitionem, ne ex valido æmulandi ſtudio, publicæ actiones detrimentum paterentur. At Libertati toties conſultum fuit, quoties præcipites in Dominationis æſtum Principes, conciliatô ſuis conſiliis alteriûs obſequiô alterius prudentiâ & fortitudine, à vi Legibus inferendâ prohibiti sũt. ſive id à ſingulari magnanimitate proficiſcebatur; ſeu hinc alienatio Principis, inde favor Populi tantæ virtutis irritamentum, ad generoſos auſus Cives provocabat. ſæpiùs tamẽ hâc methodô Reipub: ſalutem. Legibus redditã eſſe integritatem. Proinde ſi quis hoc inſtitutum Reipub: ſaluberrimum invertere vellet, hunc illum eſſe: qui ad occupandam vi Rempub: ſævienti gradum ſterneret Dominationi. Vnius enim quamvis honeſtum animum, magnitudine ſpei, largitione & immenſâ gratiâ pertrahi tandem ad illicita poſſe, duos vix poſſibile in eodem propoſito retinere: cum duobus in diſpari dignitate. ſi parem gratiam & beneficiorum numerum exhibeas, ſuperioris inuidiam & indignationem inferioris acrem

æmu-

æmulationem & certandi ſtudium excitabis, infallibiliter ſecuturô & ad eaſdem cauſas ac euentus recurſurô tuorum conſiliorum impedimentô.

Durauit ex hac ordinatione militaris diſciplinæ & Ducum modeſtia, (quia Poloni ùt ait Cromerus, *longo bellorum uſu, priſcum robur aximumq; retinentes, nihil plùs quàm militiæ diſciplinam ſecuti ſunt,*) Reipub: felicitas ad IOANNIS ZAMOISCII tempora, quæ ultima fuit ætas Reipub proſpera & probata. Ab hoc enim tempore Præfecti militiæ propriæ potentiæ magìs ac magìs intenti, vel æmulationi inter ſe dediti, dum alter adverſùs alterum ſibi ſubſidium parant, comparando multitudinis favori, de rigore primùm honeſto remittere, mox à Regibus ad curas Reipub: vocati, poſtquàm conſilijs eorum implicari, oblitiq; SACRAMENTI, contra, non pro Repub: arma ferre cæperunt: demùm ad ſcænam quoquè Civilium bellorum magìs pertracti quàm invitati, omnem penitùs diſciplinam reſolverunt, corruptô vulgô in omne fas, & nefas, permiſſâ prædandi licentiâ & certiſsimam

ob ſce

ob scelera spem impunitatis. Instantibus deinde bellis, sæpiùs simulata à Regibus armorum necessitate iussi augere militares copias, quasi in finibus Regni pro stipendiis ex ordinatione Legum vivere non possent, ad juvanda ingloria Principum consilia, specie majoris commoditatis & retinendi sub signis recenter delecti militis ad obeunda postea impigrè militiæ munia, universas copias in viscera Reipublicæ induxerunt. Crescente demum licentiâ & factionum amore; nullaq; utiliori extra turbida consilia occupatione: Hybernorum nomine, supremo & pernicioso corrumpendæ militaris disciplinæ instituto, suum quoq; ambitum & ex Patriæ ruinis exsurgentem potentiam metu armârunt: imposita necessitate Possessoribus Regalium bonorum, terrore direptionis subditorum & formidine desolationis, difficilibus quamvis officiis, in æquali nimirum statu, Civilem arrogantiam placare. in tantum ea arte euecto ambitu: ut quantò quis illustrior aut opulentior, tantò consultiùs sibi, consiliis licèt minùs honestis tamen duceret implicari: cùm Ducum

gratia & in ſumma potentia reſpectus, non niſi ambitu & ſocietate conſiliorum pararetur. Inſignes etiam è Nobilitate Viri licèt ob carentiam Panis bene meritorum extra hunc ictum poſiti eſſe viderétur, metu tamen non vacabant. cùm à vagante & diſperſo ubiq; per Reipub: Provincias milite facilè læderentur: invalido ad vindictam Legum auxilio. & atrox præteritis proximè temporibus Civilium bellorum memoria, diris exemplis omnes monebat, quid expectandũ eſſet à corruptis Magiſtratibus ſub Principe, qui odiò Libertatis Patrias Leges contemneret & pacatam Remp: nollet: quia Cives metueret. nam in Pace bonis artibus honor, perturbas deterrimo cuique plurima nocendi licentia. Ità dum perditiſsimus quiſq; partem ſe in malis temporibus Reipub: facit, infami ſtratagemate ſumma Reipub: adconverſionem, vigor Legum ad mutationem peragitur. Hac ratione meditatum diu ſcelus infenſorum Patriæ ſuæ Civium occidendi vires Reipub: tandem erupit corruptâ penitùs militari Diſciplinâ, quæ in bono ſtatu retenta, quemadmodum eſt imperi-

periorum fundamentum & primarium defensionis robur, ità depravata, ad certissimam grad' est ruinam. Hæc quondam in pace inexorabilis, per factiones & internas civium discordias resoluta est. Sed Respub: immani tum Civium audaciâ & Principum machinationibus distenta; dum graviora metueret; in levi habuit, quidquid damni militaris inferret insolentia. redditâ aliquantùm securitate & penetrantibus ad intima injuriis. postquam ipsi Duces itinerum spatia & stationum mutationes grandi pretiô venditarent, totâq; miles Republicâ tanquam communi spoliô uteretur, acri paupertatis sensu & extremæ calamitatis stimulô percita, vicinum Fatum suum exhorruit, ac tum primùm de remediis cogitare cæpit, aut rursus ipsâ difficultate remediorum ambigua salutis suæ in mediis torpebat malis, sæpe vanâ spe de Electorum noviter Principum ingenio fallebatur. accessit confusioni: quòd in Repub: discordi & ob crebras Principum mutationes inter libertatem & licentiam incerta, parvæ quoq; res

ſummis motibus agebantur, donec id quoq; poſtremis temporibus biennii ferè ſpatiô tracto per varia belli momenta tempore, obiecto à Comitiis otio, prohibitum eſt. Sic ſpecie Medicinæ oblatum Reipub: Anodinum, in partem curarum acceſſerat.

Si quis autem vellet reſtitutione in integrum militiæ Polonæ latus Reipub: munire, id quàm defæcati conſilii opus & arduum effectu ſit, vel exinde colligi poteſt: quód quilibet Exercitus ut integris ſemper conſtet phalangibus & cohortibus, iuſtis ſtipendiis, commeatu & perpetuo exigat ſuſtentari immenſæ pœcuniæ cenſu. ut verò par ſit ferendis belli incommodis & vinci quamvis inter ardua difficilis: ad illud induſtriâ & exemplo optimorum Ducum SEVERI Imperatoris ſymbolum LABOREMVS, perpetuò aſſvefaciendus. nam ut illam Pertinacis egregiam teſseram, PVGNEMVS, dextrè obeat & ſequatur; non niſi continuo ad id deveniri exercitio & operarum ſtudio. Ipſorum quoq; Ducum ingenia, quomodo cum priſca modeſtia & debito erga Rempu: obſequio concili-

ciliari posſint? ſummi laboris eſſe meditamenta.

Imprimis autem vetus Sarmatarum Reſpub: ut numeroſum Exercitum integris conſtantem ordinibus (quod adverſùs vim hoſtium ſaluberrimum eſt) haberet, agrariam contributionem inſtituit; denis primùm groſsis ex iugere numeratis, qui diſciplinato militi in ſtipendium toto Anno numerandum ſufficeret. Sed vergente poſthac in deterius militari diſciplinâ, imminutis ab hoſte Regni terminis, tranſitu quoq; Legionum & gravi Hybernorum onere, (ad quæ uſurpanda inopiâ ſtipendii militari violentia Anno 1613. Legiones Smolenſcianæ actæ ſunt, poſt ſeceſsionem factam à Smolenſco in Poloniam progreſſæ, occupârunt Provincias Majoris Poloniæ & Pruſsiæ, electo in Mareſchalcum ZBIGNEO SILNICKI, qui ſedem ſibi cū Præfectis Bydgoſciæ fixerat) ad paupertatem redactis Reipub: bonis variâ contributionum methodo, quæ Fumaliorum genere (& hæc ipſa ferendi Tributi ſpecies primùm ſub SIGISMVNDO III. ſubacta iam ferè Sueticis armis Livoniâ introducta, quadruplum uſitati Agrarii Tri-

Tributi æquavit) ad extremum constitutô in hominum brutorumq; capita infami quidem, sed exactissimo ac utilissimo censu; vix pro usu aquæ àéris&, & ipsa respirii libertate Tributa pendebantur. tandem à singulis jugeribus bis denum florenorum summa pendi jussa, ingens exactio, inordinatam tamen avidi militis famē, ad inexplebilē cupidinē civilib⁹ bellis corruptū, satiare non potuit. Proinde cùm præsentis statûs Analogia ità constituta habeatur, ut misera Respub: Ordinariis Regni Proventibus sæpè vix sufficiat extraordinariis publicis expēsis sublevandis: Extraordinariis Exactionibus, quandoq; in partem tantùm satisfactionis stipendiis militum veniat, idq; ipsum magnâ temporis jacturâ constet, dum in Comitiis laudantur, in Post Comitialibus Conventibus approbantur, demum nec statim, nec integrè à Nobilitate conferuntur. Sed & casus ruptorum, aut dilatorum Comitiorum periculosi, cùm miles stipendiis destitutis, dilabatur, non unâ amissâ præclarè agendi occasione, & ereptâ Ducibus ducendi in hostem ob defectum virium facultate,

tate, reliquo militi una ex Patriæ ſpoliis ſpes, & ex neceſsitate, quaſi honeſtus ad licentiam gradus. Magnaq; inde ſubnaſci mala, vaſtitatem nimirum Reipublicæ, & debitorum ob retenta ſtipendia magnitudinem. His cauſis militares fomentari confœderationes, aut ambitioſis Civibꝰ ſubminiſtrari occaſionem, militari audaciâ & licentiâ in turbas Rempub: præcipitandi: dum per Patriæ ruinas ſternunt ſibi viam ad potentiæ faſtigium. Ordinarium etiam & PERPETVVM Contributionis genus, licèt his incommodis mederi valeret, & definitæ ad certum numerum Exercitus quantitati in exſolutione ſtipendiorum ſatisfacere poſſet; attamen hic modus vel eô ipſô metuendus eſt: quòd facilè ad unius potentiam exigendi cenſus arbitrium & militiæ vires comparato favore Exercitus devenire poſſent; quibus ſiſtendis nulla alia daretur ratio, niſi armorum oppoſitione, periculoſo ſcilicet & ſemper fatali Rebuspublicis còércitionis genere.

Sed cùm ORDINARII CENSVS INSTITVTIO præſentiſsimum ſit tot publicis neceſsitatibus

tibus, postremò militari licentiæ subducendæ Reipub: medium, nullam salubriorem & magis expediti compendij adinueniri posse rationem, quàm constituta rerum omnium VENALIVM CENTESIMA. Ità enim locupletissimus quisque non simulatô ampliùs juvandi Bonum Publicum prætextu, famosô & damnabili adversùs pauperes artificiô, omnia in tenuiores conjiciendi Tributorum onera, dum potẽtiæ impunè cedit, ea in turpem luxum & damnosum vertendi Reipub: ambitum; quæ æquiori lure subsidio Patriæ tribuerentur, sed ad sincerum studium veramq; opem in succurrendo teneretur. Hoc enim Instituto, cùm velut ex Facultatibus Bonorum, quisq; subsidium Reipub: ferret tanquam universalis CO ÆQVATIO sciscendorum Tributorum inter Ordines, et ferendorum ex æquo publicorum onerum, diuitum cum exanguibus, tenuiorum cum potentibus summâ justitiâ sequeretur. Eadem ratione grandi Reipub: emolumento, à Majoribus in Prussia CIVITATIBVS, præcipuè verò Gedanô & Elbingâ, insignis summa (quæ olim

à Cru-

à Crucigeris sub nomine FVNTCZOL introducta, quâ potissimùm militare illorum ærarium nitebatur: modò verso nomine in fraudem Legum, cùm hoc genus telonei à CASIMIRO REGE abolitum esset, Gedani sub nomine CVLAGA, Elbingæ titulô ANLAGA, à mercibus in hanc usq; diem exigatur) millionem ferè singulis annis excedens Reipub: ærarium, non spernendo opum accessu augere posset. nam pendente centesimum Emptore à mercibus grossum, proculdubiò teloneo FVNTCZOL centesimæ summa adæquaretur. & nè is census specie magis, quàm vi urgeret mercatores, accrescente in partem pretij venditoribus, quidquid Emptor pendere cogeretur; constitutis ex æquo PRETIIS RERVM posse obviari.

Sic constitutis ærarij rationibus perpetuò Respublica quindecim peditum, tria Hastatorum, duo millia velitum; in universum viginti millibus constantem Exercitum, sinè cujusquā injuria alere posset, commeatu, amunitione, & re tormentaria egregiè instructum provi-

sumq; sublatô penitûs internecinô malô, sub Hybernorum specie, non jam ex hostibus, sed ad rapienda de Repub: spolia militari audaciæ permissa licentia. quæ tantò exitiosior Reipub: quantò verso in morem Hybernorum abusu, atrox militare flagitium indies valentiùs ad Regni perniciem jam velut æquo & iure niteretur. Is porro Exercitus, cujus tutelæ & fortitudini antiquissimas juxta Regni Leges fines Imperii committerentur, quos egredi unquam sub pæna declarationis ipso facto pro hostibus Patriæ, nefas esset, haud difficulter ab egregiis Ducibus militari disciplinæ restitui posset: dum pace belloq; continuis operibus ac militaribus exercitiis occuparetur; otio nimirum cavendo & perfectiori indies scientiâ firmando animo, & ad subitos belli casus expediendo dextrè ingenio. At si quando grandiori virium mole gerendi cum præpotente hoste belli necessitas ingrueret, id exercitatissimi in bellis Populi Romanorum exemplo nec à prisca Sarmatarum fortitudine alieno; summis Reipub: VIRIBVS, quæ in COMMVNIS

MO-

sita sunt peragi consultissimum ac tutissimum Reipub: esset. nam sicut à paucis & egregiis Consultoribus citò negotia definiri, ità magnâ fortium Bellatorum multitudine promptissimè bella profligari; simul ex diuturna mora tædium belli & gravem sumptuum jacturam euitari. Nec alia ratio victi sub Chocimo Osmani Turcarũ Imperatoris, aliisq; Illustribus triumphis Polonorum fortitudinem nobilitavit. nam certum est: magnis Expeditionibus scientiam & usum bellorum acquiri & unicum esse ad Victoriam de hostibus, & quæ militarem famam sequeretur, gloriæ compendium.

Hæc porro militiæ ordinatio, quemadmodum majorem accessum jam satis formidabili Strategorum potentiæ ad ambitus magnitudinem faceret, ità justiori metu & propinquiori periculo Reipub: Statum involueret. Lædi enim Reipub: partes à prævalidi Civis potentiâ certum est, ubi nimia est. nec cujusquam modestia adeò firma & velut inexterminabilis speretur, ut incremento potentiæ, quæ cupidi-

tas cunctis affectibus flagrantior est, cedere nolit, aut non possit. Quare cùm corruptissimô sæculô in depravatis hominum moribus de rectitudine Civium indubitatæ spei certitudinis colossum Civilis prudentia non possit erigere: vitia adversùs Rempub: invalescentia Legibus frænanda, Leges usu recti firmandas esse. Id facilè in hoc negotio evenire posset: si perpetua Potestas Ducum, ad triennalem militaris Præfecturæ administrationem reduceretur, nulla spe relicta PROROGATIONIS IMPERII. Præmonitio hæc quondam suæ Reipub: prudentissimi Romanorum Dictatoris fuerat; modò Oraculi fidem invenit: *angustius Gubernatorum tempus, esse certissimam libertatis publicæ custodiam.* Approbavit veritatem hujus effati suo exemplo IVLIVS CÆSAR, qui prorogatô sibi ad quinquennium Galliarum Imperiô, mox Reipub: ac totius Orbis Dominationem concupiscere ausus est, postremò militari manu occupavit. altas nimirum radices agit in diuturnitate Imperij fundata ambitio, continuò in successus immodicarum cupiditatum intenta, dum nimiæ po-

tentiæ conſcia ſibi eſt, & nullo ex Repub: metu cujuſcunq; admiſsi facinoris, inſolens manet & ſecura. Plus etiam conferret ad redigẽdam in ordinem Ducum potentiam; ſi nimirum Ducibus non modò Ordine Senatario cẽſeri, ſed nec ſubſellium in Senatu permitteretur. Idipſum inter antiquas probi moris laudes refert Cromerus: *Duces belli temporarij fuiſſe perhibebantur, neq; inter Magiſtratus Regni habiti ſuperioribus temporibus.* Specioſum ſanè & plurimùm conducibile Inſtitutum, ut ſtabiliendæ Reipub: auctoritati, ità firmandæ acriter in poſterum militari diſciplinæ, & eradicando ex ambitioſis ingeniis de INCOMPATIBILIBVS Optimæ Legis abuſu. nam certiſsimum eſſe, quòd quemadmodum temporum vices, ità morum voluantur: quibus inducendis retinendisq; plurimùm conferre luventutis Inſtitutionem & magiſtratuum auctoritatem, non tam Imperiô in libera Republica, quàm exemplô. Huic modeſtiæ civium ſic ordinati à Repub: Imperatores præferrent facem. cùm Polonorum ingenia (ad virtutem id, ſeu vitium referas) validiùs Principum ſuorum, ſæpi-

fæpiùs magnatũ moribꝰ regantur, quàm legibus. quippe nihil tam rectũ in moribus aut iniquum, quod Populus ſummarum Poteſtatum ductu velut præſcripto & Iure imitandum non ſequatur. juxta illud Pòétæ:

Si ſtudia & mores Populi cognoſcere curas;
Res facilis: vitam Principis inſpicias.

magìs enim in officio morum liberos Populos æmulandi amore, quàm metu ex Legibus & pænâ retineri. Fuêre enim tempora, quorum meminit Hiſtoricus, quando Poloni ſaltèm adverſis & principum ſuorum exemplis ad meliora mutabantur, ità poſt Valachicam pugnã molli cultu habituq; abjecto, commeſſationes ac ebrietatem SIGISMVNDI Primi PRINCIPIS ſui exemplo faſtidiendo, ſobrietati ingentem honorem detulerunt. & ab his initiis omnes ferè virtutes crevêre.

IVS LEGATIONIS MATRIMONII, FÆDERVM.

AD tantam amplitudinem Populum Sarmaticum ac tam vaſtos imperii limites, ùt teſtatur Iodocus (*Germanos naturali quodam inſtinctu vi-*

ir

tro ad Polonos suæ originis solum veniſſe; suâ etiam sponte illorum paruêre Imperio. quantum ultra Istulam amnem Polonis *seu* Sarmatis *semper paruit, tantum in Germania Imperium retinuêre. Nec parvum sanè hoc fuisse constat, cùm & Bukoviecz quod Lubek votant & Maydburgum, omnes deniq; vendi & tota Marchia, Silesia, Lusacia, & Mekelburgensis Ducatus cum reliquis apud Miechovienſem annumeratis Regni fines fuerint*) rarioris Fortunæ indulgentiâ & insigni armorum fortitudine deveniſſe. Easdem tamen Imperii partes eodem referente Historico amisit: *qvia partim antiquiùs belli, partim Dotalicij jure in Theutonum manus & ditionem abiére,* Silesiæ tamen Ducatum, & insignem Vratislavienſem Vrbem, cæteraſq; Imperii partes ambitioſo Principum ingenio, & proniori quàm in affines ac propinquos suos decebat affectu, Regno deceſsisse. & quamvis diverſa fuêre Sarmaticæ Monarchiæ tempora, quæ sub Popielis & VLADISLAO Secundo, ab ignavia Ducum, aut rursus ab infelicitate Principum suorum, maximè verò BOLESLAI CRISPI, & ALBERTI, aliorumq; Regum fortitudinis aliquando detrimentum paterentur: nihilominùs tamen ad SIGISMVNDI Tertii ætatem, illibatam armorum gloriam, nominisq; invicti integrum decus retinuêre. Sed postquàm acceſsu

cessu divitiarum & magnitudine potentiæ alia mens Regnantibus orta esset. nam quæ olim quamvis iniqua Regibus viderentur, boni tamen publici causâ tolerabantur: postea cùm vix æqua pati possent, subire eos cæpit pœnitentia & studium revocandi, quæ amica olim insolitô exemplô Dominatio libertati concessisset, & sicut Polonis, testante gravissimo Scriptore Piasseccio *ex more Gentis inveterato insitum esse, vix unquam aliquam Reipub: causam contra Regem defendendam suscepisse, nisi & propria offensa stimularentur:* ità Principibus Polonis, fatale esse, Dominationis artibus odia Populi irritare, non alio tam periculosi moliminis pretio, quàm toties irrita & vanâ spe destinandi post se Successoris. Hinc immensum potentiæ votum, & flagrantissima cum validissimis in Europa Domibus conjũctionis cupido, quasi vastæ spei & futuro Regno tam longinquis arribus subsidium pararetur. Inde IVS LEGATIONVM Principibus cum Ordinibus Regni commune, & bene olim cum Arcanis libertatis conveniens, corruptum esse: magno Reipub: detrimento. Sed imprimis IVS

MA-

MATRIMONII; quod in Gentibus quæ absolutè reguntur; solius Majestatis est: cùm in Polonia indulgentia Principum in Fundamentale jus Reipub: transierit; nec liceat Principibus, nisi consensu Reipub: & consilio Senatûs mediante Matrimonia inire, ob justum scilicet Reipubl: metum: nè semota à notitia Reipub: & publico consensui subtracta conjunctio, in pignus ocultioris vinculi transiret, quæ mercede immunitatum liberi Populi in lucrum Dominationis verteretur, quod non semel immodica cupientes Principes suomet ingenio, sæpè ambitioso Ministrorum impulsu ob LEGATIONEM, honore mixtim & lucro gratissimam pessundedêre: proposita Senatui in Comitiis Regni circa Matrimonium Principis Deliberatione; dein exploratis Procerum sententiis, non expedita per declarationem Principis Inclinatione, incertum consilii magnique operis quod ad Rempub: pertineret dimissum non semel Senatum. qui dum in secuturis Comitiis negotii expeditionem sperat, medio tempore Legatio expediebatur, sacra Connubii per-

ficiebātur, magno auctoritatis Reipub: Legumq; non modò ludibrio, sed & publicæ Statûs trā-quillitatis dispendio. Primus enim hac arte SIGISMVNDVS Tertius maximè offendit, in ducenda contra vota Ordinum ANNA de Domo Austriaca CAROLI Archiducis Austriæ & Mariæ Ducis Bavariæ FILIA: quo facinore sæua Populi odia, postea etiam pari ausu civilia Rokoszianorum arma ac pernicioſas Reipub: turbas concitauit. Parem alienationem animorum VLADISLAVS magnanimus Princeps, sed in Dominationem pronior, quam in libero Regno deceret Regnantem, expertus est; postquam CÆCILIAM RENATAM, FERDINANDI II. Imperatoris Filiam, sinè consensu Reipublicæ thoro Regali junxisset, & præter morem Gentis allatis Varsauiam Insigniis Regni passus est coronari. meliùs ii Principes faciunt, qui suorum diuitias augere studeant, non suas: meritò amore ciuium digniſsimi, qui solâ Populorum utilitate, gloriam suam metiuntur. An non alienatio partis ditionum Reipub: & pòst amisio Nobiliſsimæ Provinciæ iisdem

dem clandestinè ineundorum Pactorum Matrimonialium rationibus debetur? *Nam cũ* STEPHANVS *REX Poloniæ, à* IOANNE *Rege Sveciæ, &* Rhoniæ *restitutionem, partis nimirum Livoniæ repeteret, opponebat hæreditatem Lithvaniæ. Dotemq; Uxori suæ debitam,* (cùm CATHARINAM AVGVSTI Regis Sororem, in Matrimonium duxisset) *ac maximè mutuum numeratæ Regi pecuniæ, quàm potius donationis specie ipsi obtruserat, quô, eum sibi devinctiorem pro consequendo illo Matrimonio redderet, & postea eô demum defunctô apud ignaros rei, traxit in debitum.* Nihil itaq; magnificentius euenire posset, quã si destinandis ad obeunda Legationum munia viris excelsis, opibus & sapientiâ, rerumq; usu instructis, ex Equestri etiam Ordine aliquis Nobilium, authoritate tamen famaq; inter Proceres adjungeretur. nè quidquam excellentioris Ordinis gravitas, nè subsellij amplitudo, ad strictiorem exactioremq; Ordini Equestri gestæ prouinciæ reddendam impedimenti afferre posset rationem.

Quod verò IVRA FOEDERVM attingit, excelsam animis, armis, invictam Sarmatarũ Gentem OFFENSIVA nunquam (nisi quod

sæpiùs adversùs Crucigeros & Teuthones Tartarorum colluviem non tam necessitatis causâ, quàm ingenio occupandi Gentem ferocem, & à bello otij impatientem, in expeditiones adhibuerint: delinitis eorum animis & conciliata opera Donativi genere, quod ipsi Haracz vocant) DEFENSIVA FOEDERA admodum pauca inijsse. cùm invictis semper armis pollerent, solâq; fortitudine & ad attollendum immensum Reipub: corpus vires Imperii exercerent. Illustrissima tantæ gloriæ in propatulo orbis documenta fæuda sunt Principum Nationumq;, quæ in Nomen Gentemq; Polonam armorum reuerentiâ coaluêre. Nam Dux Mazouiæ Semouitus, sub Annum 1353, Homagium personaliter præstitit cum NICOLAO Episcopo Plocensi, & omnibus Baronibus Mazouiæ CASIMIRO REGI, Regalibus vestito & Diademate ornato. Año 1454. Helias Moldauiæ VLADISLAO III. Leopoli Homagium præstitit, & Tributum solvere sese obligauit, ejusdem Inuictissimi REGIS celebratissimâ per uniuersas Nationes Genteſq; nominis gloriâ, & armo-

morum terrore, potentiſsimum Turcarum Imperatorem, ad glorioſiſsimas toti Chriſtiano orbi conditiones adductum fuiſse: quibus per Legatos ſuos ultrò citròq; miſſos, omnibus Caſtris ceſſurum ſe in Raſcia VLADISLAO, & partem Albaniæ promittebat. CASIMIRO autem IV. Annô 1479. Martinus Treslar, Magiſter Pruſsiæ in præſentia Oratorum Regis Hũgariæ, eidemq; REGI interjecto modico temporis ſpatio 1485. STEPHANVS Palatinus Valachiæ, cum ſuis Bojaris in Colomija, Oppido Ruſsiæ juramentum fidelitatis præſtitêre. ut non pæniteat, ſi minora Fœuda Oſuecimenſis & Zatoriæ Ducum, cæteraq; ſilentio ad modeſtiæ famam tranſmittantur. Nam Polonos Gentem originis ſinceræ, libertati potius, quàm proferendis limitibus Imperij ſtuduiſſe: ad hæc innata omnibus liberis Populis in bella tarditate, & adverſùs quæcunq; pericula nimiâ circumſpectione, ob prona in ſuſpitionem, ac pro libertate præcipitia ad formidinem ingenia, OFFENSIVA ſemper fœdera vitauiſſe: Idipſum ſpretæ ſocietatis exemplo cum ſummis

rerum

rerum humanarum capitibus manifestum esse demonstratur. Cùm enim ad Comitia Regni Generalia 1590 Cajetanus Cardinalis Pontificius, & Imperatoris RVDOLPHI Episcopus Vratislaviensis, Legati pro facienda societate, contra Turcam missi fuissent. summo conatu Poloni opponebant: vinculum societatis cum PAPA & Imperatore firmum haberi non posse; cùm morte eorum facilè rumperetur: quo casu moles universi belli, in solos Polonos recumberet. Sed si Ordines, quoq; Germaniæ ad eandem societatem accederent, & de manutenendis societatis conciliis Polonis cauerent, firmiori robore consistere posse; tali deniq; securitate certam pacem cum Turca, periculo belli socialis Polonos pro bono Reipub: Christianæ commutare non detrectare. Et addidit huic prudentiæ fidem, saluberrimum illud Legatorum Hollandorũ componendorum Tractatuum inter Regem SIGISMVNDVM Tertium, & GVSTAVVM Sudermannum, de Hæreditate Sueciæ negotium, ab Austriacis subversum, noua spe SIGISMVNDO, de recuperando Regno

gno Sueciæ injecta: quorum intererat, ut GVSTAVVS bello Polonico distineretur, & à Germanicis rebus averteretur. Quæ pollicitatio socialis in bellum amicitiæ non modò fefellit, verùm etiam eam ob causam classis SIGISMundi è portu soluens Dantiscano, post insignem obtentam de Svecis victoriam, tandem destituta à Danis Svetică classe oppressa periit. Sed postquam subiit tædium REGES nimiæ jam Majestati Libertatis, & maligna cura Dominationis, ab amore Legum alienavit Principum animos, & à recto Regimine in prava detorsit: simul exarsit ingens potentiæ cupido, conjunctionum cum potentissimis Domib⁹ studium, immensa etiam accessit pecuniæ cupido; ut si nullis artibus in destinando Successore Regum ambitus perrumperet libertatem, largitionibus id & magnitudine spei fœda opum profusio summa hôc ævô Aularum ars sumeret perpetrandum. verùm quando flagitiosæ adinventiones magno tribuentium dispendio nihil in summa proficerent, infensi Principes Reipub. robur & Statûs Equestris potentiam fastidien-

dientes: primò fines Imperii negligenter tueri, amissas Provincias per summam socordiam nõ vindicare, his immunitates sinè modo concedere, aliis Fœdera ac Fœuda remittere, postremò cæperunt nulla in posterum cura lacerare Imperium. Quod quomodo in evolutione à Supremolure Nobilissimi in Prussia Fœudi evenerit, ut noscatur: paucis declarandum est.

Extincta in LVDOVICO Magistro, potentia Crucigerorum & reliquis in ordinem redactis, cùm jam in commilitium Regni copiarum adsciti, per obsequia Reipub: distraherentur, IOANNE de TYFFEN, Magistro Prussiæ apud Leopolim, in Regni subsidiis mortuo, & pari fato, FRIDERICVM SAXONIÆ Ducem abdicato Magisterio Prussiæ decessisse. ad extremum res Crucigerorum, ab ALBERTO Magistro Marchione BRANDEBVRGICO penitus afflicta est, nam is inquies animo, quamvis à SIGISMVNDO Primo, quem abavunculum ferebat ex SOPHIA CASIMIRI IV. Filia genitus, ad Homagium Prussiæ, clementissimè admissus esset, MAXIMILIAnum

tamen

tamẽ Imperatorem continuò ſollicitando ad fædus cum Moſcho, contra Polonos adduxerat. poſtremò, quod omnium flagitioſiſsimum erat, deſerta Catholica Religione ac cenſura Eccleſiaſtica à Pontifice, & CAROLO V. Imperatore perculſus: facilè pelli poterat, & meritò debebat; niſi SIGISMVNDVS REX incremento Regni Religionis bono & juſtitiæ Legis charitatem ſangvinis anteponendo, Albertum Brandeburgicum, è Linea Anſpachiana in Ducem creâſſet, cui partem Pruſsiæ, quæ modò Ducalis vocautr. ſub Fiduciæ Legibus conceſsit. Albertum quoq; Fridericum Filium ejus; ſummo officio coluit; & ut perpetuitatẽ beneficij, in cognata Familia firmaret, admiſſo ad Iusjurandum Vaſallagii Alberto Friderico, Ioachimi quoq; Marchionis Nuntiis, ex Altera Linea Electorali, nihil ad Fœudum Pruthenicum pertinente, contactum Vexilli permiſit, Iureq; Curatellæ (quod motus mente eſſet Fridericus) non prohibuit: quamvis ea pars curæ, potiùs ad REGEM, ùt Directum & naturalem Dominum pertineret.

Eam injuriam ex alienatione tantæ ſortis Reipub: acri animo ferentes Nuntii Terreſtres, potiſsimùm verò Deputati Terrarum Pruſsiæ ſtatim proteſtati ſunt, Sæpiuſq; ſecutis temporibus eæ Proteſtationes Regibus inſinuatæ ſunt. & licèt in libera Republica VOX INTERCEDENDI TRIBVNITIÆ POTESTATIS manifeſtè ius illud infringebat: valuit tamen dedecus Principum & amor jacti ad ſecutura mox in Repub: mala fundamenti. Nam extincto ALBERTO FRIDERICO & pari fatorũ ſorti dato IOACHIMO Marchione ſub cujus cura æger Dux fuerat, Ioannes Sigismundus Elector Brandeburgicus ſuppreſſo jure Familiæ Anſpachianæ TERTIVM FÆVDVM pro ſe & germanis Fratribus IOANNE GEORGIO in Sileſia Duce Gegendorfenſi, ERNESTO & CHRISTIANO WILHELMO Archiepiſcopo Magdeburgi à SIGISMVNDO Tertio REGE impetravit, conditionibus ad præſens (ſi ſervarentur) ſatis honeſtis, ut ex Libello cautionis ejuſdem Ducis Pruſsiæ patet: ſubſidij nomine præter illa quæ ex priſtinis Pactis Ducatus

tûs hujus nomine debentur, quemadmodum ijſdem conditionibus Anno 1605ti convenit: Nos, ſucceſoresq; noſtri quotannis in ærarium publicũ inferre tenebimur triginta millia florenorum annua Polonicalium; quoties verò neceſsitate aliqua poſtulante in Regno Tributũ Decretum publicè fuerit, totidem alia 30000. ejuſdem valoris ſeu monetæ; ità ut cùm Tributum ſcitum fuerit, ſexaginta millia à nobis dependantur. quarum quidem ſummarum nomine quoties numeratæ fuerint Regni Theſaurarius Nos Miniſtròſue Noſtros liberare ſeu quietare tenebuntur. Quemadmodum etiam conditionibus ejuſdem Anni 1605ti ſtatutum eſt: quoties neceſsitas poſtulaverit, quatuor Naves ad tuendam oram maritimam Pruſsiæ noſtro ſumptu habebimus, &c. Porro tanta Ducum Pruſsiæ ſubjectio, quam ad gravem Reipub: abſoluti Dominii maris uſurpationem in Año 1681 pervenerit; vel hinc luculenter patet: quòd Dux nullo jure ſibi conceſso ad Portum Pillavienſem, non modò telonea cum ſummo vicinæ Civitatis Elbingenſis præjudicio Regumq; exe-

gerit, sed per Aresta naviuni, confiscationem mercium, plenam non modò commerciorum facultatem, rerum & maris Baltici Dominium, ingeniosè ei illudente Beniamino Raule, penitus in aliena, quia Reip: ditione affectaverit; Portusq; ac Littorum, quorum illi olim tantùm custodia concessa erat, sese Dominum fecerit. Sed ut ad Prima redeam Investitura hæc IOANNIS SIGISMVNDI Brandeburgici insignis Majestati Regum Poloniæ fuit: cùm super theatrũ in Area de Majori observantia Fratrum adhoc constructo, habitu Regali Rege in Throno sedente flexus genu utroq; Iusjurandũ fidelitatis præstitit: tum magno modestiæ cultu compositis in reverentiam precibus, tradi sibi tabulas Homagij in hæc verba peteret: ut benignè me tanquàm Naturalis & Hæreditarius Dominus, uti omnium Terrarum Prussiæ & Ducatus quoq; in Prusia Dominus investire dignetur, supplex peto. post hæc Rex Banderium ei cum Aquila Alba Insignibus Regni Poloniæ ac Leges Fœudi scriptas tradidit. Episcopus autem Tulitanensis Simoneta utí

Nun-

Nuntius Apostolicus denuntiavit interpellationem Summi Ponsificis de Episcopatu Sambiensi & Pomesaniæ ab illis Ducibus suppresso, & de Iure quod Crucigeri Sedi Apostolicæ in illa Provincia quæsiverunt. Verùm antequam confirmationem FÆVDI à Repub: prænominatus Dux Prussiæ obtineret, juxta morem Patrium & exigentiam fundamentalium Regni Iurium afficientia Statum Reipub: negotia, nunquam sinè consensu omnium Ordinum expediendi, non modo in comitiis 1co9ni certis conditionibus transactum fuit, verumetiam põderosum hocce negotium in Conventibus Particularibus antè propositum deliberatumque, dein amplissimi Senatus & Nuntiorum Terrestrium ab universa Nobilitate ad Comitia cõmemorata missorum, omniũ Ordinum authoritate unanimiq; consilio & consensu adhibito, publicè per Mareschalcum eius Ordinis IOANNEM SWOSZEWSKI Notarium Terrestrem Leopolienſem declaratum, ac Lege quoq; lata firmatum memorato Illustrissimo Principi Domino IOANNI SIGISMVNDO Fratribusq; illu-

Illustratis ejus germanis, eorumq; legitimis succeſsoribus Maſculis ex lumbis eorum deſcendentibus jus ſimultaneæ Inveſtituræ ſucceſsioniſq; in Fœudo Ducatûs Pruſsiæ tributum, collatum confirmatumq;. Ità jus Fœudi, quod cum Domo Anſpachiana extinctum erat & in Rẽpub: recidebat, ad Brandeburgico Berlinenſem Electoralem Familiam translatum eſt. nihilominùs tamẽ vigore Decreti Comiſsionis 1612mô Annô in Ducali Pruſsia celebratæ, Ordinibus Pruſsiæ cauta eſt in cauſa marchionũ Francohicorum ſecuritas à lure Dominii in Ducalem Pruſsiam à reliquis Familiis Brandeburgenſibus non uſurpanda, cujus tenor eſt: Nos non ſolùm juſtis illorum precibus annuentes, verùm etiam luri Sacræ Regiæ Majeſtatis & Regni caventes, imprimis omnia iſta Iuramenta Año Dñi 1578 & quocunq; tempore à ſubditis Ducatûs præſtita, utpote quæ inſciâ Sacrâ Regiâ Majeſtate & Regnô requiſita & facta, quæq; à Comiſsarijs Regijs, tum & à Serenissimo Rege SIGISMVNDO Auguſto, & Ordinibus Regni omnibusq; ſeqventibus Inveſtituris caſſata fuerunt

runt, illegitima, nulla, & invalida pronunciamus, declaramusq;. Tum etiam pro authoritate nostra Commissoriali, Nomine Sacræ Regiæ Majestatis, & omnium Ordinum Inclyti Poloniæ Regni, omnibus Ordinibus Ducatûs Prussiæ cavemus & pollicemur, S. Regiam Majestatem Regnicq; Inclytos Ordines ratione commemorati præstiti Iuramenti & præteritæ memoratæ Lineæ CVLMBACENSI & ONOLSBACENSI omni tempore apud omnes & singulos illos defendere ac tueri velle. Sic aliquatenꝰ à perpetua successione in ditiones opulentæ Provinciæ Marchionum Brandeburgicorum consultum esse videbatur: simul tolerabiles Fœudi conditiones, nec de Iure Reipublicæ, nec de Majestate Regum quidquam diminuebant. donec corruptissimo sæculo, VLADISLAO Rege statim à prima Regni sui die spes Dominationis vasto animo voluente & circa Arcana cõsiliorum Aulæ distento; lubrico Reipub: Statu Duci Prussiæ admodum luveni, ut jusjurandum fidelitatis pro Ducatu Prussiæ redderet Regi, Tantùm Per Nuntios Suos, indultum est.

Hoc

Hoc fomite ambitio erupit, & nunquam poſtea à prædicto Duce niſi de abſoluto ſuper Terras Pruſsiæ Principatu quæſitum, nam æmulat⁹ Parentis ſui ingenium & artes, qui prodente Arnheimio Cæſariani Exercitûs Duce, utpote cliente ſuo, cuncta Polonorum conſilia, & illo rurſus ad Guſtavum Svecorum Regem deferente, inſignem ad Tiſcianũ Polonorum de hoſte victoriam corruperat: nec multò pòſt ipſe irruptione Caroli Palatini Rheni Sveciæ Regis in Poloniam, dein in Pruſsiam, primò diſſimulatione & oſtentatâ cum Svecis mediatione aluit bellum, pòſt deſperatis jam fere Polonorum rebus occaſionum non ſegnis, apertis armis & fuſo ſub VARSAVIA benefici Populi ſangvine, Magnum rebus Polonis ad Perniciem Patriæ momentum fuerat, nec erubuit accepti beneficij memoriam, Cœlo ſoloque Fœudalis munificentiæ magnitudinem exprobrante. Cùm tamen Vaſallus Dominum Fœudi etiam contra Parentem ſuum in legitima cauſa defendere teneatur. Sed labentibus rurſum in deterius Sveticis rebus Alcibiadis ſeu

Græ-

corum callidiſsimi Lyſandri imitatus ingenium, confecto jam ferè bello, non tam ob Regis iram quàm metum ex Repub: reconciliationem cum Caſimiro iniit, Pactaq; Bidgoſtienſia à Rege obtinuit, & quæ vi armorumq; fortunâ perficere non potuit, conſilium in occaſionem adhibens genium ſuum pro fortunâ ſecutus, fructum conſilii Fortunam ex calamitate Reipub: conſecutus eſt. nam ijſdem Pactis *ſpecialis Rationis nomine*, quæ vana eſt, Domus Culmbacenſis & Onaldina in Caſu Caducitatis ejus ad Fœudum admiſſa. Elbinga & Drahimum pro ingentibus ſummis, fictis tamen aut iniquè extortis obligatæ Civitates, Nobilitatis Ducalis Pruſſiæ ſublatâ Appellatione, quaſi Dominio abſoluto & ſervituti liber ille olim nobilitatis Ordo ſubjectus. Lemburgum ac Biroviam validas Præfecturas nullo conſenſu, ſed nè ſcitu quidem Ordinum Terrarum Pruſsiæ obtinuit. Obſequio in Rempub: per quingentorum Equitum ſtipendia ad quaſvis belli externi occaſiones Regno Poloniæ ſiſtendorũ liberatus eſt inſciis Regni Ordinib⁹. cùm tamen id ad-

ſantibus Fundamentalibus Regni Legibus & prohibentibus Conſtitutionibus, omnem Regis ac Senatus Conſultorum facultatem excederet: & manebant egregia Anteceſsorum exempla GASIMIRO REGI ſequēda. Nam SIGISMVNDVS III. ad moleſtas preces IOANNI SIGISMVNDO in Pruſsia Duci in hanc formam Reſponſum dederat: De imminuenda quæ ex Pactis debetur penſione, non niſi in Comitiis agi poteſt. quare nec Commiſsarii qui à Regia Majeſtate dātur, hac de re quidquā vel indagādi vel ſtatuēdi poteſtatē habere poſſunt. Quid ergo de Pactis Bydgoſtienſib⁹ & traditione per Commiſsarios Nobilitatis Ducalis Pruſsiæ in ſervitutem, ſublatione Apellationis, & ſummarum conceſsione ſentiendum ſit? uſus prudentiæ & Iura Regnorum monſtrabunt. quod ut conuenientiùs fieri poſsit, altiùs rerum ordinē repetemus. Putabant olim nonnulli cùm Terræ Pruſsiæ Ducibus in Ius primæ Inveſtituræ à Regibus Poloniæ concederētur, dein Linea Domûs Anſpachianæ decreſcente, à SIGISmūdo AVGVSTO totaq; Republica ideo aliis Famili-

miliis concedi: nè illâ extinctâ, & præpotenti aliqua inter Germaniæ Principes Familia in ejus locum ſurrogata, Imperator & Ordines Sacri Romani Imperii jus & prætenſionem ſuam in Terras Pruſsiæ denuò reſuſcitarent, totaq; res ad priſtinam bellorum aleam recideret. verùm ea conſiderationnm momenta rerum temporumq; eventus vana fuiſſe comprobavit Nam ad Terras Pruſsiæ nulla juſta Imperatorib⁹ prætenſio, cùm Prutheni ſemper Sarmatarum ditionis & Magiſtri Crucigerorũ armis victi in jus Dominiumq; Polonorum tranſierint. Nè tamẽ quidquam veritati referentis officiat: ingenuè explananda eſt grandis illa coram CAROLO V. Imperatore controverſia Anno 1548. quâ Crucigeri contra Polonos Ius ſuum in Pruſsiam vindicabant. Prædicto enim Anno Auguſtæ in Comitiis Imperii Cæſar acrem Diſceptationem, hinc Sigiſmundi Regis Polonorum Legati, Staniſlai Laſci, inde Magiſtri Ordinis Teutonici Wolffgangi Melchingi de Pruſſiæ ditione excepit. Legatus Regius Pruſsiam Teutonico Ordini eâ lege à Poloniæ Regibus con-

cessam asserebat: ut adversùs Christiani nominis hostes eorum operâ uteretur. Sed illos violatis Pactis, ab hostibus in suos Dominos arma inimica vertisse, ità ad indigna inter clientes Dominosq; certamina perventum, multis temporibus variâ sorte agitata, donec Casimirus deniq; superis æquitati faventibus ad obsequium fidemq; clientelæ juratam Eosdem armis victos adegerit. Hanc igitur Sigismundũ Casimiri Patris Successorẽ ab Alberto Prussiæ Magistro jure exegisse, ac recusantem armorum quoq; subegisse potentiâ, dũ ultrò in fidem ac clientelã Regis concesserit. *Deinde petiit* Dantiscũ & Elbingã urbes, quæ cùm Iuris Polonici essent, ad Imperij Conventus deinde non evocandas, ut suis tutò legibus ac libertate frui possent, paxq; imperium inter ac Poloniam firma consisteret. Exceptis Cæsar postulatis, ea cùm Imperii Ordinibus contulit, ac deinde Magistro Prussiæ, tradidit, qui Respondit: Ab hinc Annis ferè quadringentis, Ordo Teutonicæ Nobilitatis adversùs Barbarorum invalescentium vim á Cæsaribus Pontificibusq; probatus

batus, cùm ex Oriente in diuersas Regiones ejiceretur; à Mazouiæ etiam Duce in Culmensem agrum admissus est, eâ lege; ut Prussos Christianæ Religionis hostes sibi finitimos infestosq; reprimeret, ac victor eorum Regione potiretur. Quam Donationem Fridericus II. Imperator Hermanno Salcio Ordinis Magistro Anno Christi 1226. stabiliuit, opemq; cum secutis Imperatoribus adjecit, quâ freti, quinquaginta trium annorum spatio Prussiam sibi Religionique Catholicæ adjecêre armorũ quoq; subsidia Polonis adversùs barbaros Lithvanorum insultus, ùt amici tulimus; donec hi Polonis ob electum ex Lithvanis Regem sociati, in nos suæ felicitatis Authores cum Lithvanis tela ingrati verterunt, eo tamen exitu, quô bona Lithvaniæ parte exciderunt, quam tamen cùm ex Constantiensis Concilij Decreto Nostraq; benevolentia recepissent, obliteratâ brevi beneficiorum memoriâ repetitis Bellis compensârunt; ob quasdam Nostri Ordinis Provincias, quas summo sibi Iure arrogabant, frustra Hungariæ, Bohemiæq; Regibus ac Sigismundo

etiam

etiam Cæsare fluxa pace intercedentibus: donec arma deniq; pace Torunensi sub Ladislao Rege composita fuerunt, postquam omni Iure Prussiæ Poloni renuntiâssent: jure jurando interposito ab Episcopis & Regni Ordinibus non parituros se Regibus, qui Prussiæ Magistro bellum hoc nomine inferrent. quod jusjurandum quovis decennio innovandum statuêre decreto, quod ducentis fuit Sigillis confirmatum. Sed tantâ fidei obligatione posthabita, cum quatuordecim ab hac pace, quam æternam sperabamus, annis, Prussi, conjuratione inita adversùs Magistratum suum rebellarent, Casimirus Rex Sigismundi Pater rebellium amplexus partes, ad tantas Ludovicum Erlisinum redegit angustias, ut cùm aliter Prussiam retinere non posset Fiduciario illam Clientis jure, nullo, neq; Põtificis neq; Cæsaris Imperijq; consensu admiserit; Vnde postea Fridericus Saxo & Adalbertus Brandeburgicus Ordinis Magistri, hanc fidem Poloniæ Regibus & injuriâ extortam & nullâ Germaniæ Nobilitatis Imperijq; authoritate firmatam agnosce-

scere

scere recusârunt; donec hic à Romana simul Religione & Imperij protectione desciscens ad Sigismundi clientelam defectionis suæ tuendæ gratiâ transiret. Dantiscũ & Elbingam ad Prussiam Imperiumq; eodem jure spectantia ad Polonos solâ defectione civium ac perfidia trãsisse manifestis documentis compertum est, neq; æquitate, sed rapto possideri. Rationibꝰ utrinq; auditis delecti sunt, qui judicium ferrent, à quibus causa pro Teutonicis adversùs Polonos & Albertum pronuntiata est. sed quoniam difficultas exequendi haud modica præsenti rerũ statu visa est, hujus rei deliberatio ad Cœsarẽ rejecta fuit, qui si Germanos, Synodi ùt sperabat interventu conciliatos in Religione habuisset, promptis contra Albertum ac Sigismundum viribus æquitati locum armatâ authoritate reperisset. Hæc molimina interrupit Sigismundi Regis fatum; & statim successit Patri Sigismundus Filius Ferdinandi Regis Gener, quæ illi ad pacẽ cum Austriacis colendam Affinitas profuit. Speciosior tamen Sedis Apostolicæ Prætensio juris habetur: sed & hanc ad si-

mu-

mulacra magis Pontificiæ Dominationis quàm ad jura Imperij pertinere. Verùm hæc indulgentia Regum Poloniæ & translatio ex Familia in Familiam Fœudalis Prussiæ apud Marchiones incremento Fortunæ suæ semper intentos truncādi IVRIS SVPREMI Reipub: casum imposuit. nam & hunc excusari à fligatio non posse, qui in turbido, velut ex hostico prædam de Repub: egit; jus, Opes, Arces, vi doloq̃ in præmium belli extorsit: & illum culpari debere, qui superbis Tarquinijs & Orbis judiciô damnatis ad pænam apud posteros infamiæ, conculcatis Reipub: Legibus ea concessit, quæ neque dari, neque accipi salvâ Repub: poterant. Nam adeò Fœdam alienationem ditionum Reipub: per Pacta Bydgostiensia, sinè consensu totius Reipub: factam lubrici Iuris & irritam esse manifestum est: quod & præteritis Fœudorum exemplis & ex Iuribus Regni constet, nihil in tam grandi negotio, nisi omnium Ordinum prævio sicut & in Generalibus Regni Comitiis intercedente consēsu concedi potuisse. Neq̃ tam atrox Reipub: damnum segnitia

gnitia Principis illatum & vana excusatione in Senatus Consulta rejiciendi, vel protunc præsenti ob necessitatem Reipub: usu amoliri posse: cùm desiderium perfide habentium Ministrorum\$, nullus relinqui valeat boni publici prætextus ad convellenda Reipub: Iura. Vnde prudenter & verè, Posthumius ille in Senatu protulit: *Sponsione, quæ injussu Populi Romani facta est, non teneri Populum Romanum.* Quare Pacta Caudina & Numantina (simili aliquando in Romanam Remp: casu) non fuerunt Pax, sed Sponsio. Nunquam enim antea de pace in Repub: Polona, per certos arbitros actum, semper existimationem arbitriumq\$ ejus prærogativæ penes Populum fuisse, nè REGES quidem Hæredes Majestatem Equestris Ordinis imminuisse. Cõfirmationem porro Pactorum Bydgostiensium in Comitiis Anno 1658. iniquum Ius Duci in Prussiam quæsitum; legitimare nullatenus posse: cùm super rem ignotam & Tractatum cum summa Reipub: injuria initum, Ordinũ CONSENSVS, nisi per circumventionem Reipub: haberi potuisset. Nam indignitas prædictorũ

Pactorum obtinuit: ut typis in hanc usq; diem non mandata, oculos Civium solemq; lateant, quasi judicium Reipub: metuant, aut nè ob ignaviam principis sui, ex gravi censurâ vicinorum Populorum Resp: ruborem ferre & dedecus teneatur, non sinè miraculo, cælo fatoq; tantam Reipub: injuriam reprobante: dum eodem ferè die Annoq; quo motu Principis Confirmatio Pactorum Bydgostiensium stetit, Abdicatio CASIMIRI REGIS secuta est. Quasi indignus, qui Sceptrum & Coronam gestaret, videretur, quam in antiquo Regni splendore, & concinna partium harmoniâ conservare dedignaretur. Sed nè diutiùs hæc pacta ex insciti tenebris vindicata lucem Reip: lateant, & posteritatis judicium adversùs obscuram antiquitatem religiosum, specie justi fallant, tũ ut noscatur, quanta levitate, modò eliminatis, modò adjectis Articulis, quæ admitti non decebat, primò Levartoviæ, dein Bydgostiæ, postremò Posnaniæ nullâ Reipubl. curâ coaluerint. Dum magna opulentissimæ Provinciæ ditio, insignes Præfecturæ, aurea illa Prutenorum

rum libertas, velut viles analectæ non conceſſæ (quia nulla neceſsitas, aut ex honeſto cauſa ſuberat) ſed abjectæ ſunt, præſentari ea orbi Polono amor in Rempl: ſvasit.

PACTA
Inter IOANNEM CASIMIRVM Regem Poloniæ & FRIDERICVM WILHELMVM Ducem Pruſsiæ Welaviæ 19 Septembris Annô Domini 1657. inita.

NOtum eſt omnibus quòd cùm ſuperioribus annis, eoq; ipſo tempore, quo Sereniſsimus & Potentiſſimus Princeps ac D. Ioannes Caſimirus Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithvaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ Maſoviæ, Samogitiæ, Livoniæ, Smolenſciæ, Czerniechoviæq;. Nec non Svecorum, Gottorum, Vandalorumque Hæreditarius Rex, inclytumquæ Poloniæ Regnum & M. Lithvaniæ Dūcatus Moſchovitico Bello Coſaticiſq; implicarentur turbis, Svetici infeſtis pariter armis eandem peterent Poloniam, tandemque in Pruſſiam ac Ducalem irrumperent: Ita vt ipſe Sereniſſimus Princeps Dominus Fridericus Wilhelmus Marchio Brandeburgenſis, Pruſſiæ, Iuliæ, Cliviæ montium, Stetini, Pomeraniæ, Caſsubiorum Vandalorumq;, nec non in Sileſia, Croſnæ & Carnoviæ Dux, Burgrabius Norembergenſis, Princeps Halberſtadij & Mindæ, Comes Marcæ, & Ravensbergi, Dnus in Ravenſtein ejuſq; ditiones ac Subditi infeſtis Svecorūarmis ac hoſtilitatibus convocatis undequaq;contra ipſum Sveticis copiis ita peterentur; ut cum ipſis ad Pacta quædam premente neceſsitate fuerit adactus, indeq; hoſtilia quædam inter Sereniſſimum Poloniæ Regem & Illuſtriſſimum Electorem Brandeburgicum inſecuta patrataq; fuerint. tandem per ſingula-

rem DEI gratiam clementiamq́; interveniente & mutuam concordiam Sereniſſimo ac Potentiſſimo Principe ac Dno Leopoldo Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sklavoniæq́; Rege, Archi-Duce Auſtriæ, Duce Burgundiæ, Stiriæ, Carynthiæ, Carniolæq́; per ipſius Conſiliarium Cameræ Aulicæ & ad hoſce Tractatus Ablegatum Illuſtriſſimum & Excellentiſſimum Dominum Franciſcum de Liſola, Dominum de Tiſen & Marienfeld conciliante tam S. Regiæ Majeſtatis, quàm ſuæ Serenitatis Electoralis Plenipotentiarij. Ex parte quidem ſuæ Regiæ Majeſtatis Poloniæ Reverendiſſimus Illuſtriſſimus & Excellentiſſimus Dominus Venceſlaus Comes in Leſzno Leſczynski, Epiſcopus Varmienſis, & Dominus Vincentius Korvinus Gaſiewski, Supremus Theſaurarius & Campi Mareſchalcus M. Ducatus Lithvaniæ, Punenſis & Marcovienſis Gubernator, Æconomiarum Olitenſis & Grodentenſis Adminiſtrator; Ex parte verò Serenitatis ſuæ Electoralis Illuſtriſſimi & Excellentiſſimi: Dominus Otto Liber Baro à Schvveryn, Dominus in Lancberg Oldevvigshagen & Brevicz Hæreditarius, Camerarius Sereniſſimi Electoris Brandeburgenſis & Conſiliarius Status intimus, negotiorumq́; Fœudalium Director, nec non Sereniſſimæ Electricis ſupremus Aulæ Præfectus & Capitaneus in Oranienburg, & D. Laurentius Chriſtophorus à Somnicz Hæreditarius, Camerarius in Ducatu Pomeraniæ ejusdem Sereniſſimi Electoris Conſiliarius Status intimus, Cancellarius in Pomerania Ducali & Capitaneus Neoſtetinenſis, neceſſarijs ad hoc mandatis inſtructi perpetuam Pacem, concordiam atq́; amicitiam inter prædictum Sereniſſimum ac Potentiſſimum Regem M. Ducem Lithvaniæ ejusq́; Succeſſores & Regnum Poloniæ Magnumq́; Lith. Ducatum, tum Sereniſſimum Electorem Brandeburgicum in Pruſſia Ducem ejuſq́; Succeſſores, his quæ ſequuntur Conditionibꝰ Pacti ſunt atq́; concluſerunt.

I. Prædicta Pax quemadmodum in perpetuum fida & ſincera erit, ità hoc momento omnis inter utramq́; partem & utriusq́; partis copias, ſubditos militesq́; hoſtilitas ceſſabit: neutra pars in alterius damnum quidquam tentabit, aut tentari patietur: ſed alter alterius gloriam, utilitatem & ſecuritatem promoveri ſtudebit omnibus modis. Quid verò durantibus hiſce Bellis uni vel alteri

parti

parti tam in Regno Poloniæ, quàm in Prussia Ducali, aut singulis illorum Incolis ab una aut altera parte damnorum injuriarumq; sive per vim atq, expeditiones militares, sive per exactiones, Ablationes, aut alios modos illatum fuerit: illud omne utpotè perpetuâ oblivione sepultum, nunquam exsuscitabitur; nec eo nomine tam S. R. Majestas Regnumq; Poloniæ aut Provincia aliqua eidem unita, aut subditorum quisquam, cujuscunq; conditionis, gradus aut dignitatis fuerit: quam Serenitas sua Electoralis ejusq; Subditi, Milites, ac Ministri poterunt se invicem aut singulorum Hæredes, vel Terras, Ditiones, Belli Duces, Milites, Subditos, convenire, compellare, aut quidquam ab illis petere aut postulare, multò minùs vi extorquere, sed ista omnia utrinq; abolita erunt, & deinceps alter alterius concordiam promovebit, damna aut mutuò avertent, salvis Nominibus & debitis Civilibus, inter Regni Magniq; Ducatus Lithvaniæ & huius Ducatus Incolas ante vel durante hoc Bello contractis, quibus solvendis unusquisque teneatur; neq; iis, qui præsidia Electoralia per hoc Bellum habuerunt, aut quovis modo cum Serenissimo Electore aut ejus Officiarijs in Regno Poloniæ contraxerunt, hoc omne illis respectu amicitiæ & intercessionis suæ Serenitatis Electoralis à Regia Majest: indulgebitur, & nulla in re ipsis contra pristina Jura reliquasq; Libertates omnes qualescunq; sint, absq; ulla exceptione aut reservatione, quibus antea fruebantur, præjudicio erit.

2. Qui hujus Belli causâ à Polonis & Electoralibus capti fuerunt sinè lytro & relicta ipsis suppellectile quæ extabit, pristinæ Libertat reddantur. si qui verò alterius partis signa secuti fuerint, atq; militiæ sese addixerint, isti relinquantur parti, nec reposcantur. Bona immobilia & literaria documenta, quæ ab unaquaq; parte, ratione hujus dissensionis arestata vel Fisco addicta fuerunt, legitimis eorum Dominis restituantur: non obstantibus quibusvis donationibus, à quocunq; & quovis titulo factis.

3. Vtraq; pars in modernis hisce Bellorum tempestatibus sedulò communi saluti & defensioni intenta erit, contra quoscunq; illius perturbatores, Paci & mutuæ securitati stabiliendæ pellendisq; à Regno & M. Ducatu Lith. & Ducatu Prussiæ hostibus, unitis Con-

filiis, viribus & conatibus incumbet: non obstante quovis alio nexu aut conventione, quæ huic æquissimæ intentioni, & reciprocæ obligationi obstare posse viderentur; vigore autem huius Pacti pro rescissis habentur.

4 Sereniſſimus Elector omnia quæ per universum Poloniæ Regnum, Magnumque Lith. Ducatum & Episcopatum Varmiensem per hoc Bellum aut per tractatus Sveticos quocunq; titulo occupavit, ac ipso facto possidet, statim atq; hæc conventio à Sua Regia Maiestate & Senatoribus ac præcipuis Regni Aulæq; Officialibus eidem assidentibus ratihabita fuerit, restituet plenariè & absq; ulla reservatione: Evacuatio locorum fiet per Commissarios utriusq; partis communi consilio juxta solitam Belli rationem, absq; injuria aut molestia ulla incolarum, & sinè demolitione Fortaliciorum novorum & antiquorum, nisi id ex communi partium Consensu, quibusdam in locis expedire videatur, & sinè ablatione rei tormentariæ, ad Episcopatum spectantis.

5 Quorum intuitu & aliorum præsertim infra specificatorum & aliis justis de causis Ducatum Prussiæ iis finibus circumscriptum, quibus Sereniſſimus Elector illum olim lure Fœudi ante hoc Bellum exortum possidebat, ipse deinceps & descendentes ejusdem Masculi, ex thoro ejus legitimè procreati, indeq; descendentes omnes, donec quisquam supererit ex descendentibus Masculis suæ Serenitatis Electoralis lure supremi Dominij cum summa atq; absoluta potestate sibi habebunt, possidebunt regentq; absq; omnibus ante hac præstitis Oneribus. Quanquam verò Sereniſſimus Elector, eiusq; descendentes omnes Masculi, omni prorsùs Vasallagij nexu, quo hactenus Regi & Reipub: Polonæ obstricti fuerunt, iisq; omnibus, quæ indè dependent, liberentur. non tamen perpetua Fœudi alienatio indè sequetur sed deficientibus Masculis ex præmemorata Linea legitima Electorali descendentibus, Sereniſſimis Regibus & Reipub: Polonæ, lus suum integrum in præfatum Ducatum reservatur, & tali pacto præfatus Ducatus à Rep: Polona non avelletur, quæ tamen reservatio interim ante causam existentem Iuri Supremi Dominij Serenitatis suæ Electoralis ejusq, descendentium; nullo modo præjudicabit. Promittit etiam Sua Regia

Maie-

Majestas tàm pro se, quàm Successoribus suis in causa non existentium descendentium specialem habituros rationem agnatorum Serenitatis Electoralis: nimirum Domus Columbacensis & Onasbacensis & apud Regni Comitia ut casu Caducitatis existente etiam illi alijs præferantur & ad Successionem præfati Ducatus, sub iisdem Fœudi Conditionibus & Obligationibus, quibus antèhac Sereniſſimus Elector eiusq; Anteceſſores, illum vigore Inveſtituræ poſſederunt. Sua Regia Majestas atq; Resp: Polona hoc ipso solvunt ſtatus, Officiales, omnesq; Prussiæ Ducalis Subditos priori luramento, quo hactenus obstricti fuerunt. Cujus Loco Sereniſſimus Elector, luramento se ac omnes Subditos Prussiæ obstringet ad obſervantiam horum Pactorum, & Fœderis perpetui in termino extradendæ ratificationis. Et præterea universi Prussiæ Ordines, Magiſtratus, Officiales Artium, Portuum, Fortalitiorum Præfecti jurabunt, se causa caducitatis existente Sereniſſimum Regem & Remp: Polonam pro solis & immediatis Dominis agnituros, eiq; omnem obedientiam, fidem debitam præſtituros, idq; in ſingulis Ducum Prussiæ Homagiis, coram Commiſſariis Sereniſſimi Regis & Reipub: Polonæ repetent, juxta Formulam luramenti ſpecialem, quæ hic sequitur.

Ego N. N. Iuro, quòd Caſu Caducitatis existente, quo Poſeſſio plenumq; Dominium Ducatus Prussiæ ad ſuam Regiam Majeſtatem Poloniæ, & Rempub: pertinebit, juxta tenorem Tractatus inter Suam Regiam Majeſtatem & Serenitatem Electoralem Die 19. Menſis Septembris Anno 1657. initi Sereniſſimum Poloniæ Regem ejuſq; Succeſſores & Remp: pro ſolis & legitimis ac immediatis Dominis Meis agnoſcere eiſquæ debitam fidem & obedientiam præſtabo. ſic me DEVS adjuvet per IESVM CHRISTVM, Amen.

6. Deficientibus Maſculis Deſcendentibus ex Linea Electorali præſenti ſuperſtitibus fœminini Sexus Marchioniſſis Deſcendentibus, aut his non extantibus in propinquo gradu agnationis ſuam Serenitatem Electoralem ejusquæ Poſteros attingentibus, quiſquis in Prussiæ Ducatum tum temporis ſuccedet, Summam perſolvet, de qua inter Sacram Regiam Majeſtatem & Serenitatem ſuam Electoralem conveniet in ipſa ratificatione, quæq; ibidem exprimetur.

cur. Donec autem exoluta fuerit occupare ac possidere dictis Marchionissis aut supradictis proximis Hæredibus licebit Præfecturam Insterburgensem cum omnibus eo spectantibus Prædiis & Præfecturis Cameræ, quas vocant vulgo Cameram, prælictis ijsq; omnibus omni meliori modo uti, frui debebunt. Hac tamen Lege quidquid ex fructibus dictæ præfecturæ percipient, illud in defalcationem & extenuationem præfatæ Summæ capitalis imputetur.

7. Sereniſſimus Elector ejusq; deſcendentes Maſculi. Barones, Nobiles, Civitates & Magiſtratus, ac Sublitos omnes Pruſſiæ cujuſcunq; gradus ac Conditionis ſint in auctis receptisq; Privilegiis, Statutis, Juribus & Libertatibus, huic conventioni non derogantibus conſervabunt & manutenebunt, nec quidquam in contrarium attentabunt aut innovabunt, vel à quovis intentari patientur. Ipſis quoq; iuſtitiam juxta uſitatum & receptum Jus Pruſſiæ cæteraq; Statuta & Conſvetudines adminiſtrari curabunt. ſi quis in inferioribus inſtantijs gravatum ſe prætenderit, ad Supremum Tribunal Appellationem à Serenitate Sua Electorali in Pruſſia Ducali eligendum provocari poterit, ibidemq; decenti modo Jus ſuum proſequi. Vlterior provocatio ſive Ordinaria ſive extraordinaria nullum inveniat locum. Præſes autem & Aſſeſſores iſtius appellationis Judicii à Sua Serenitate Electorali ejuſdemq; Deſcendentibus Maſculis conſtituentur ex Pruſſiæ Ducalis indigenis & Terrigenis, ijſq illi Juramentum præſtabunt, nec ſubditi querelas ſuas ad Regem, Regnumq; Poloniæ nullo modo deferre poterunt;, aut ab eis admitti. Similiter Sua Regia Majeſtas & Reſpub: Poloniæ promittunt, caſu devolutionis exiſtente ſe prænemoratas Statuum Pruſſiæ Libertates, Privilegia, Statuta, Conſvetudines Juraq; recepta, integra atq; ſalva dictis Statibus deinceps ſemper conſervaturam, illosq; in quietâ & tranquillâ Poſſeſſione eorum omnium manu tenturas, nihilq; in iis omnibus innovaturas.

8. Loco Vaſſallagii priſtini Sereniſſimus Elector ejuſq; Deſcendentes perpetuo ac inviolabili fœdere Sereniſſimo Regi ac Reip: Polonæ conjungentur, per quod utriuſq; partis ſtabilietur ſecuritas in perpetuum, in hunc qui ſequitur modum.

9. Sereniſſimus Elector eiusq; Deſcendentes, fidam cum Sereniſſimis Regibus Regnoq; Poloniæ & M. Ducatu Lithvaniæ colent amicitiam & unionem. nunquam cum Sereniſſimorum Regum vel Regni hoſtibus aliquod fœdus directè vel indirectè inibunt, in Præjudicium Regis & Reip: tranſitum hoſtibus per ditiones ſuas Portus & Propugnacula, annonam quoq; & commeatum, ac qualecunq; ſubſidij genus denegabunt. Nec portus ſuos vel munitiones ipſis quocunq; modo vel Titulo in Poſſeſſionem tradent.

10. Subſidia quæ in hoc præſenti Bello Serenitas Sua Electoralis Sereniſſimo Regi ac Reipub: Polonæ conferre tenebitur; illa in Particulari Tractatu hac de re inito, ſpecificè deſignata ſunt ac limitata, quæ Conventio præſentis vigore Pacti, per omnia ſervanda erit. Quoties autem finito hoc Bello, novum aliquod aliud Bellum, contra Sereniſſimum Regem ac Remp: orietur: Sua Serenitas Electoralis, ejuſq; Deſcendentes tenebuntur, Mille Quingentos Pedites & Quingentos Equites Sereniſſimo Regi ac Reipub: Polonæ ſubminiſtrare: : quibus, poſtquam ex Ducatu Pruſſiæ Ducalis educti fuerint: Rex Regnumq; Poloniæ ſuſtentationem ſubminiſtrabunt.

11. Viciſſim vero Sereniſſimus Rex eiusq; Succeſſores & Regnum Poloniæ ac M. Ducatus Lith: reciprocam cum Serenitate Sua Electorali, ejuſq; Succeſſoribus ſervabunt amicitiam, nullum hoſtibus ipſius aditum in ſuæ Serenitatis Electoralis Terras concedere, ſed potius defenſioni, conſervationi, ac ſecuritati Ducatus Pruſſiæ omnibus modis conſulere debebunt. præſertim ſi huius conventionis vel ſubſidij miſſi cauſa (de quo ſupra) Sereniſſimo Electori ejuſq; Succeſſoribus quiſquam & quicunq; fuerit, ſive in præſenti, ſive deinceps Bellum indicere aut Ducatui Pruſſiæ inferre voluerit, Sereniſſimus Rex & Regnum Poloniæ adæquato ipſi ſubſidio ſubvenire tenebuntur.

12. Copiis Regiis per Pruſſiam Ducalem quando opus fuerit iter patebit, ſinè maleficio tamen, noxa, aut damno ullo incolarum, ordinabit quoq; Sereniſſimus Elector, ejusq; ſucceſſores deſcendentes, iternum rationes & quidquid indè dependet, idq; ut eò rectiùs fieri poſſit, maturè adventus exercitus Polonici aut Turmarum Sereniſſimo Electori aut Poſteris eius vel in abſentia eorum, ijs quibu

Gubernatio Ducatus commissa fuerit à Sua Regia Majestate vel à Regni Generalibus, vulgò Feldt Herrn, indicendus erit, ordinationi autem prædictæ Exercitus Polonicus, ejusq; Duces parere necesse habebunt, Pariter liberum erit Suæ Serenitati Electorali eiusque Posteris Prussiæ Ducibus eadem ratione & cautelis supramemoratis per Poloniam & Prussiam Regalem copias militares ducere.

13. Navibus utriusq; partis propriis sit liber cum omnimoda securitate præstanda aditus atq; transitus per portus, qui sunt in alterutrius partis Dominio absq; præjudicio Commerciorum atq; Fortalitiorum & cum omnimoda eorum securitate, de qua inter partes deinceps conveniet. Libera quoq; erit utriq; parti in alterius Ditionibus annonæ Commeatus ac omnis sustidii bellici coèmptio, utraq; pars in alterius partis Terris militem conducere poterit. illam tamen amicè priùs eo nomine compellabit, atq; desuper inter utramq; partem de modo conveniet, prout fœderis atq; amicitiæ ac temporum ratio postulabit, & hoc semper observabitur, nè ullum partibus incommodum, aut subditis damnum, afferatur.

14 Exercitium Religionis Catholicæ Romanæ prout ante hoc Bellum Sveticum, juxta antiqua & recentia Pacta in Prussia Ducali viguit, aut vigere debuit, conservabitur aut restituetur. Libera erit eam Profiteri volentibus, nec ullus unquam ex Ducalibus subditis jam eam profitentibus aut in posterum professuris, eam ob rem interpellabitur. Sacella itidem & Oratoria ac Bona Ecclesiastica ipsis pertinentia, ubi vis tam in confinibus, quàm alibi integra, tuta, & concessa illis erunt; in iisdem liberum ex Doctrina institutisq; Catholicis Romanis exercitium habebunt. Nemo eo nomine turbabitur, premeturve, nemo Religionis Catholicæ causam ullam, vim, injuriam, contumeliam, molestiamve perferat, & quicunq; eos aliquâ injuriâ affecerit severè punietur. Ad munera & honores ijs, qui ex Catholicis idonei fuerint liber aditus erit. Quicunq; etiam in Ducatu, Catholici Barones, Nobiles; Civitates, Iura Patronatus legitimis acquisiverint modis, in locis ubi Iura illa ipsis competunt, ijsdem uti ac frui absq; impedimento & contradictione poterunt.

15. Si verò alii Com Patroni Romanæ Religioni non addicti fuerint

erint inibi, atq; Iis de dicto Iure, atq; eius exercitio oriatur, à Comissarijs à Serenitate sua Electorali ex utraq; Religione pari numero constituendis componetur vel decidetur, juxta præscriptum Iuris Canonici. Templum quoque Regiomontanum cum suo Cæmeterio & locis ad id pertinentibus ac fundatione, aliisq; Iuribus receptis, in eo Statu, quo ante hoc Bellum fuerant, aut esse debuerant, conservabitur. personæ Ecclesiasticæ iis immunitatibus & foro in posterum gaudebunt, quibus hactenus gavisæ sunt, aut gaudere debuerunt, juxta Pacta priora. Iurisdictio spiritualis Reverendissimi & Excellentissimi Domini Episcopi Varmiensis iuxta Pacta integra & intacta conservabitur in Parochum, & omnes alias Ecclesiasticas personas Catholicæ Religioni addictas. omnibus deniq; Iuribus, prærogativis, & Libertatibus fruentur: quæ tam in antiquis quàm recentioribus Pactis & Fundationibus concessa sunt, quæ hic in hac sola materia denuò confirmantur, ac pro specificè expressis & declaratis habentur.

16 Calendarium hactenus usitatum & receptum pariter retinebit. similiter Serenissimus Rex Poloniæ & Respub: pro se & Successoribus suis promittunt, quòd in casu devolutionis, nihil in præjudicium tam Augustanæ Lutheranæ, quàm Augustanæ Reformatæ Religionis innovabunt, aut attentabunt. Commercia inter Regni Poloniæ M. Ducatus Lith. & Ducatus Prussiæ Incolas libera erunt ac secura. Circa controversias verò quascunq; ratione Commercii & omnium indè dependentium vel eo spectantium, aut quæ ad illud quocunq; modo referri possunt, Commissio instituetur ad Instantiam Partis poscentis, & omnia per Commissarios ex utraq; Parte ad Instantiam sive Suæ Regiæ Majestatis sive Serenitatis Electoralis pari numero intra spatium duorum Mensium nominandos amicabiliter componentur. In Dominiis verò utriusq; Partis nulla nova Teloneorum onera tam Terrestria, quàm maritima, quæ ante hoc Bellum non fuerunt in gravamen cujuslibet partium imponantur. Quod si aliqua è re communi de novo imponenda aut augenda videbuntur, id Partium Consensu fiat.

17. Si super limitibus inter utramq; partem aut subditos utriusq; partis ratione limitum, aut etiam inter suam Regiam Majesta-

tem & Succeſſores, Reges, Regnumq; Poloniæ ac M. Ducatum Lith: & Serenitatem Electoralem ejuſq; Succeſſores circa obſervationem & executionem fœderis ac præſentis conventionis, aliavè quavis de cauſa aliqua dubitatio, aut controverſia exoriatur, per Comiſſarios ad Inſtantiam tam Suæ Regiæ Majeſtatis, quàm Suæ Serenitatis Electoralis, intra bimeſtre ſpatium, ab utraq; parte æquali numero nominandos, quiq; ii opus eſt, in rem præſentem venient, amicè componatur ac definiatur.

18. De pretio, valore, ac æſtimatione monetæ, liberoq; ejuſdem curſu per utriuſq; Ditiones, quoties opus fuerit, amicabiliter conveniendum erit.

19. Ad interceſſionem Sereniſſimi ac Potentiſſimi Hungariæ & Bohemiæ Regis per prænominatum Dominum Ablegatum interpoſitam, nec non Sereniſſimo Electore Brandeburgico pro plenaria reſtitutione & omnimoda ſecuritate cognati Principis majorem in modum inſtante, Sereniſſimi Regis Poloniæ Plenipotentiarij perſpectam & exploratam habentes Suæ Regiæ Maieſtatis, cùm erga cæteros omnes ad obſequium redeuntes, tum ſpecialiter erga Illuſtriſſimum Principem Dominum Boguſlaum Radivvil Ducem Bierzorum, Dubinkorum, Slucyce & Kopylice, S. Romani Imperij Principem non uno documento literario teſtatam benignitatem annuerunt & conſenſerunt; ut præfatus Princeps tanquam is, qui defacto cum debita ſubmiſſione ad priſtinam obedientiam, fidem, & obſequium, unà cum ſuis omnibus iam redierit, & omni cum hoſtibus commercio renunciaverit, atq; inpoſterum Sereniſſimo Regi ac Reipub: obſequium ſuum fidele voverit, non modo Generalis Amneſtiæ beneficio frui & gaudere poſſit, ſed etiam ſpeciali præſentis Tractatus vigore in Ducatuum ſuorum Patrimonia & omnia Bona ac Iura ipſi legitimè competentia in forma pleniſſima, unà cum ſuis reſtitutus ac reſtituendus intelligatur. neq; ratione damnorum, injuriarum, ac hoſtilitatum, quæ in hoc Bello, vel per ipſum, vel ejus milites aut miniſtros acciderunt, per viam Iuris aut facti quodquam negotium aut moleſtiam, ipſi aut partes eius ſequentibus faceſſere poſſit, ſed omnia fideli Amneſtia, hujus quoq; pacificationis vigore ſepulta cenſeantur. ſalvis nominibus & debitis Civilibus, quæ nihilominus perſolvenda erunt.

20. Fædus hoc & omnia, in hoc Instrumento contenta, sanctè servatum iri utraq, Pars Iuramento promittet, & in præsenti quidem Rex Poloniæ ac Senatores eidē assidentes hanc Conventionem solenniter ratihabebunt, ac Iuramento firmabunt, promittentq; in proximis Comitijs aut proximo Conventu Comitiorum potestatem habente; omnia quæ his contenta sunt, ratihabitum iri. similiter Serenitas Electoralis, illam pari modo ratificabit ac Iuramento firmabit. atq; hoc Fædus perpetuum quotiescunq, Novus Rex Poloniæ Electus fuerit, aut Dux Prussiæ in Ducatu successerit, ab utraq; parte renovabitur confirmabituriq; Iuramento desuper præstito per Deputatos in animam Principalium jurantes. Etsi pars alterutra huic conventioni & fœderi contravenerit, & decenter admonita satisfacere neglexerit, pars læsa monere tenebitur mediatores ac Sereniſſimos Reges & Status in Articulo sequenti nominatos, & eorum curam adhibere procurandæ satisfactioni, & huic stabiliendæ concordiæ rationi, utraq; pars sedulò insistet, ut omnia amicabiliter æquis modis componantur.

21. Pro securitate & horum Pactorum firmitudine fidem suam quoq; interponent Sereniſſimi & Potentiſſimi Reges Hungariæ & Bohemiæ, item Daniæ, Norvegiæq; deniq; Præpotentes Fœderati Belgij Ordines rogabuntur; ut injuriam aut vim contra hanc conventionem passo, omni meliori modo consulant, atq; debita ipsi satisfactio procuretur. Confecta autem sunt à supra nominatis Dominis Plenipotentiarijs hujus Pacificationis & fœderis duo eiusdem Tenoris Exemplaria à Sua Regia Majestate Poloniæ & Senatoribus eidem assidentibus, atq; à Sua Serenitate Electorali Brandeburgensi, intra sex septimanas ab infrascripto die ratificanda & Iuramento firmanda, atq; utriniq; permutanda. quorum vnum Suæ Regiæ Maiestatis Dominis Plenipotentiariis exhibitum; alterum verò Suæ Serenitatis Electoralis Dnis Plenipotentiariis traditum: utrumq; autem in maiorem fidem maiusq; robur à sæpedictis Dnis Plenipotentiarijs utriusq; partis propriarum manuum subscriptione sigillorumq; appositione munitum & roboratum est. Acta hæc sunt Velaviæ Prussorum, die 19. Mensis Septembris Anno Domini 1657.

Ven-

Venceslaus de Leszno Episcopus Varmien. S. Romani Impe rij Princeps, Poloniæ Svecíaq; Plenipotentiarius mpp. (L. S.)

De Lisola Serenis. Hung. & Bohemiæ Regis Consiliarius, & ad hosce Tractatus Mediator Ablegatus mpp. (L. S.)

Vincentius Corvinus Gasiewski Supremus Thesaurarius & Campi Ductor M. D. Lit. S. R. M. Plenipotentiarius mpp. (L. S.)

Otto Liber Baro Schwerin Plenipotentiarius Electoral.s mpp. (L. S.)

Laurentius Christopherus Sonnicz Plenipotentiarius Electoralis mpp. (L. S.)

Quandoquidem DEO clementer annuente Sereniſſimus Elector Brandeburgenſis ad ſinceram pacem & amicitiam cum Sereniſſimo Rege ac Regno Poloniæ & M Ducatu Lith. à quibus violento Bellorum ingruentium ac neceſſitatis inevitabilis impulſu, invitus avulſus fuerat, redierit, ac perpetuo fœdere Sereniſſimo Regi ac Reip Polonæ & M. Ducatui Lith. ſe conjunxerit, ut mutuam utilitatem, commodum, ac ſecuritatem ſincerè procurare & promovere teneatur, ad quem ſcopum attingendum nil expeditius viſum fuit, quàm ſi communibus operibus, & conſiliis arma & ſtudia conjungerentur ad expurgandam quibusvis hoſtibus Poloniam, & totam Pruſſiam Regiã & Ducalem periculo liberandam, ac removenda omnia obſtacula, quæ communem utriuſq; Partis tranquillitatem impediunt ad optatam pacem eò citiùs & efficaciùs conſequendam. Circa quod ſpecialis conventio inter partes per eoſdem: Reverendiſſimum Illuſtriſſimos & Excellentiſſimos D. D. utriuſq; partis Plenipotentiarios in Pacis inſtrumento nominatos ſtabilita fuit in eum qui ſequitur modum.

I. Sereniſſimus Rex & Regnum Poloniæ: & M. Ducatus Lith: durante hoc Bello, requiſito armorum ac Militum præſidio à Serenitate Electorali Brandeburgenſi, ejuſq; Statibus ac Provinciis, tam in Imperio, quàm hic in Pruſſia contra præmemoratos hoſtes, vel quoſcunq; eorum confœderatos & adhærentes, quoties neceſſitas exiget, ſuccurrent. Quibus Sereniſſimus Elector, quoties pro ſua defen-

defensione in proprijs ipsius Provincijs militabunt, victum & subsistentiam prout suo suppeditabit. Similiter & Serenissimus Elector Brandeburgensis, pro communi partium utilitate, toto hoc Bello durante, instructum cum omnibus pertinentijs & re tormentaria habebit exercitum, sex millia militum, partim Peditum partim Equitum: quibus cùm vel ipse contra supra descriptos hostes aget, aut Polonis conjũget iuxta rerum exigentiam, habito desuper communi consilio, quibus etiamsi fuerint plures, similiter Serenissimus Rex & Respub: Poloniæ victum vel subsistentiam, quàmdiu pro ipsis in ipsorum Territorijs sunt militaturi, subministrare debebunt. Nec Serenitas Sua Electoralis pendente hoc Bello quidquam ultra præfatum numerum militum, subministrare tenebitur, nisi sponte volet.

2. Si Sveci aut eorum Assecłæ hujus Conventionis odio, vel alio quovis colore, intra decennium post hoc Bellum finitum Serenissimum Electorem non solùm in Ducatu Prussiæ, sed & in imperio armis suis infestare tentaverint, Serenissimus Rex Poloniæ, & Resp: tenebuntur ipsis subvenire, & vicissim eodem casu Serenissimus Elector, per totum illud decennium post confectam Pacem, tenebitur subsidium Serenissimo Reg & Reipub- ad ipsorum Defensionem, ijsdem, ùt supra, Conditionibus. suppeditare. De quibus auxiliis sibi mutuò ferendis specialis Declaratio fiet inter Suam Regiam Majestatem & Serenitatem Suam Electoralem in Ratihabitione. Liberum quoq; erit Serenissimo Electori amplecti fœdus inter Serenissimam Domum Astriacam & Serenissimum Regem & Rempub: Poloniæ initum, ac securitatibus omnibus in illo comprehensis, frui.

3. Quando utriusq; partis copiæ conjunctæ fuerint, Expeditiones militares omnes communi Consilio, & utriusq; partis Generalium Consensu, suscipientur. Si in Terris ad Serenitatem suam Electoralem spectantibus aut aliis in locis Suæ Serenitatis tantùm causâ Bellum geratur: Belli directio ad Serenitatem Electoralem Suam spectabit, Serenitate verò Suâ Electorali absente, omnia fient communi Consilio, & si opus fuerit, de Directore inter Principales convenient, habito respectu & discrimine Generalium

ùm; similiter etiam quando Copiæ Electorales pro Serenissimo Rege aut Repub: Poloniæ certabunt, idem Iuris statuetur. De cæteró salva erit inter Milites suos utriusq́; partis Iurisdictio; & æqualis semper inter Milites utriusq́; partis, Ciborum, secundùm numerum eorundem proportionata Distributio. In quocunq́; autem Territorio Copiæ tam Regiæ quàm Electorales fuerint; ij, quibus annonæ cõmeatusq́; cura commissa fuerit, ex æquo utriusq́; partis Militibus, secundùm eorum numerum, de sustentatione prospicient. Neutra pars poterit sinè alterius scitu, consensu ac præsentiâ Deputatorum, Pacem Amnestiamuè cum hostibus paciscì, nec arma deponere, antequam utriq́; parti de securitate omnimodâ prospiciatur, ad plenariam partium satisfactionem. Serenissimus Elector Brandeburgensis in Pace cum Serenissimo Magno Moschoviæ Car includetur, cum omnimoda sua securitate & observatione fœderis perpetui & Conventionis cum Serenissimo Rege ac Regno Poloniæ & M. Ducatu Lith: inita.

4. Cæterum cùm intuitu damnorum periculorumq́; quæ pendente hoc Bello Serenitati Suæ Electorali subeunda erunt, aliisq́; de causis, æquum visum fuerit tam Suæ Regiæ Majestati quàm Reipub: ut propensionem suam & Regni erga Serenitatem suam Electoralem, ejusq́; inclytam Domum reipsâ demonstraret, & illorum omnium dignam habendo rationem aliquam ipsi satisfactionem concedere. Et præterea, cùm Sua Serenitas Electoralis, certam pecuniæ summam & Contributiones ac Belli sumptus ad necessarios Militum delectus prætenderit. Reverendissimi Illustrissimi & Excellentissimi D. D. Plenipotentiarij Suæ Serenitatis Electoralis desiderio, plenè satisfacere summè expetiverint, atq́; nonnulla, quæ circa hoc Punctum in mandatis habuerunt, declarârint. Tamen cùm ad complanandum hoc negotium penitus atq́; sufficienter instructi non fuerint, res ista ad ulteriorem Regiæ Majestatis Declarationem & conventionem in ipsa ratihabitione faciendam remissa est: ità, ut nihilominus Pax interea concludatur Interea verò Serenitas Sua Electoralis declarat ac protestatur, se ante præfatam declarationem & ratihabitionem nullatenus velle obligari ad executionem eorum, quæ in Articulo quarto Conventionis prin-

principalis de Evacuatione locorum conventa sunt. Quæ omnia Sanctè & inviolabiliter observatum iri, pars utraq; sub fide sua ac juramento promittit, prout ex nunc Reverendissimus, Illustrissimi DD. Plenipotentiarij nomine Serenissimorũ suorũ Principalium defacto promittunt, seq; intra sex Septimanas Serenissimi Regis & Senatorum eidem assidentium uti Serenitatis Suæ Electoralis ratihabitionem, nec non etiam in proximis Regni Comitiis, eorum omnium, quæ hic acta & concluſa sunt, plenam concluſionem procuraturos. In quorum fidem hæc à sæpè dictis Plenipotentiarijs propriarum manuum subscriptione, sigillorumq; appositione munita roborataq; sunt. Velaviæ Prussorum die 19 Mensis Septembris Anno Domini 1657.

Venceslaus de Leszno Episcopus Varmien. S. R. Majestatis Poloniæ Svecizq; Plenipotentiarius (L. S.)

Vincentius Corvinus Gasiewski Supremus Thesaurarius & Campi Ductor M. D. Lit. S. R. M. Plenipoteniarius (L. S.)

De Lisola Serenis. Hung. & Bohemiæ Regis Consiliarius, & ad mediationem hosce Tractatus Ablegatus (L. S.)

Otto Liber Baro à Schwerin Plenipotentiarius Electoralis (L. S.)

Laurentius Christopherus Somnicz Plenipotentiarius Electoralis (L. S.)

Nos itaq; CASIMIRVS Rex Poloniæ, M. Dux Lith. Russiæ, Prussiæ, Masoviæ, Samogitiæ, Livoniæ, Smolenſciæ, Czerniechoviæq;, nec non Svecorum, Gottorum, Vandalorumq; Hæreditarius Rex. Testamur pro Nobis Succeſſoribusq; Nostris Regibus & Regno Poloniæ, Magnoq; Ducatu Lith: Nos universa & singula Capita; Pactis supra scriptis comprehensa bona fide ex Senatus Consulto approbâsse, confirmâsse, & ratihabuisse; prout ea hisce nunc ex Senatus Consulto approbamus, confirmamus, & ratihabemus. promittentes verbo Regio & sub fide præstiti (tam à Nobis, quàm Consiliariis Nostris Officialibusq; lateri Nostro assidentibus) Iuramenti: Nos prædictis Pactis posthac constanter inhæsuros, curaturosq;

turosq; : ut omnia & singula Pactorum Capita, quæ à Nostrâ parte & Reip: Polonæ nomine promissa sunt, sanctè & religiosè observentur, imò impedituros nè à quopiam violentur Et quoniam nonnulla ad Nos in Negotio Conjunctionis armorum & alijs remissa sunt, atq; super ijs sequenti ratione inter Nos & Serenissimum Principem Electorem supra nominatum conventum est modo infra scripto, ea secundùm conventionem initam addimus, illa eandem vim atq; vigorem cum superioribus Articulis ex Senatus Consulto habere volumus, atq; hisce tribuimus pollicemurq; eadem fide jurata, in proximis Comitiis omnia, quæ superioribus Articulis continentur, & quæ hic sequuntur omnium Ordinum consensu confirmatum & ratihabitum iri. Igitur probè perpendentes, tum pericula, quæ Suæ Serenitati Electorali Terrisq; ipsius per ipsam separationem, à Partibus Sveticis imminent, tum quanti interfit Nostri atq; Reip: vicinum Nobis Principem iustis devincire modis. tum imprimis quanta quamq; utilia Nobis Regnoq; Poloniæ per effectivam & actualem armorum Nobiscum conjunctionem præstare Sua Serenitas Electoralis deinceps possit officia, tam Bello quàm Pacis tempore. Ad demonstrandam præterea singularem Nostram Regniq; Nostri propensionem erga Suam Serenitatem Electoralem ejusq; Domum inclytam ejusdemq; posteris Masculis ex legitimo thoro ejusdem descendentibus; pariter ex Senatus Consulto & DD. Consiliariorum tam Spiritualium quam sæcularium Regni Nostri duas Præfecturas, Lemburgensem & Bytoviensem cum omnibus & singulis eorum Subditis, Vasallis, fructibus, libertatibus, eminentiis, censibus, Proventibus, Iuribus & pertinentiis universis tenendas; habendas, fruendas & possidendas in perpetuum lure Feudi pro Nobis & Successoribus Nostris Regibus Poloniæ dedimus, concessimus, & tenore præsentium damus & concedimus & Investimus: Officiarios Nostros & Incolas quoscunq; ibidem Iuramentis & subiectionibus, quibus hactenus Nobis & Reip: obstricti fuerunt hoc ipso exolventes; ac illam de ijs ipsis Arcibus & Oppidis Bytovv & Lavemburg investimus.

Præterea de ampliori gratia & benevolentia Nostra Serenitatem ejus ac illius hæredes ab omni Iuramento, nec non tributis & exactio-

actionibus quibuscunq; Nobis & posteris Nostris ratione dictarum Arcium & Oppidorum præstandis, dimittimus & liberos facimus, prout olim à Ducibus Pomeraniæ eædem Præfecturæ Bytovv & Lavemburg tenebantur. Pollicemur præterea pro Nobis & Successoribus Nostris dictum Sereniſſimum Principem ac eius Hæredes in prædictis Arcibus & earum pertinentijs, quantum in Nobis est defendere ac tueri. Tenebitur autem & obligatus esse debebit præfatus Sereniſſimus Elector ejusq; Successores ad singulas Successorum Nostrorum Regum Poloniæ Coronationes Consiliarios aut Officiales suos mittere, qui hoc ipsum Jus Fœudale de præfatis Arcibus & Oppidis pertinens recognoscant, & Literas ejus Recognitionis & Renovationis Fœudi, quæ gratis illis debent dari, à novis Regibus accipiant. quodsi aliquâ legitimâ causâ præpediti, hoc Officium & debitum in Coronationibus Successorum Nostrorum non fecerint: nihil eâ negligentiâ detrimenti illis afferre debebit, dummodo alio brevi tempore post Coronationem id præstari curauerint. Vbi verò ipse Sereniſſimus Elector Princeps Dominus Fridericus Wilhelmus Marchio & Elector Brandeburgicus & in Pruſſia Dux, sinè legitimis Masculis Fœudi Hæredibus, vel eorum legitimi Masculi Fœudi Hæredes non relicta prole virili decederent, stirpsq; & progenies eorum Mascula & legitima decederet deficeretque, extunc prædictæ Arces & Oppida Leoburg & Bytovv cum omnibus suis bonis, Subditis, Vasallis, fructibus; libertatibus, Juribus, eminentijs & pertinentijs universis ac pleno Jure & possessione, citra omnem difficultatem ad Nos & Posteros Nostros Reges Poloniæ redibunt. Et siquidem ad præsens Præfecturæ istæ à Donatarijs Nostris possidentur: ideo usum fructuum ante hanc cessionem ipsis debitum, atq; quidquid Juris in illas habuerunt unquam, alia ratione dignisq; modis pensabimus, ita ut vacua omninò possessio & plena fructuum perceptio Suam Serenitatem Electoralem ex hoc ipso tempore manere, neq; quisquam ipsi ratione satisfactionis suæ negotium facessere debeat.

Religionis Catholicæ exercitium in Præfatis Præfecturis Leoburgensi, & Bytovienſi, prout ad hanc usq; diem fuit liberum, erit. Jurisdictio Episcopi Vladislavienſis in Templa Catholica Sacerdoceſq; libera maneat. Proventus, videlicet Decimæ, census & si

qui sunt alij, Parochis & Ecclesiis suis extradentur, & renuentes ad extradendum è Præfectis eiusdem Serenitatis cogentur. Causæ tam Nobilium quàm Plebeiorum Matrimoniales ad forum Ecclesiasticum pertinebunt. Nobilitas, Iuribus, Privilegiis, bonisque suis eodem modo ac sub immediato Dominio Nostro, utebantur: utetur, fruetur, sub Sua Electorali Serenitate. Decreta rerum judicatarum, prout sub immediato Dominio nostro lata sunt, inviolata maneant. Gubernationis & Appellationum ratio eadem erit, quæ fuit sub Ducibus Pomeraniæ, salvis Privilegiis.

Iura Patronatus Regia reservantur ejus Serenitati Electorali & Nobilibus, si quæ habent; juxta Privilegia & usum eorundem ita tamen, quod juxta declarationem circa hanc Conventionem ab ejus Serenitate factam, ad Ecclesias Catholicas Parochiales præsentabit ejus Serenitas Electoralis Sacerdotes Catholicos ad commendationem Episcopi Vladislavienſis instituendos. ità, nè Ecclesia ultra duorum Mensium spatium vacare possit:

Propter eandem armorum Conjunctionem, & supra memoratas alias rationes, suæ Serenitati Electorali.

Civitatem Elbingensem cum præfato Districtu & Territorio pleno Iure sibi habendam possidendamq́;, unà cum Reditibus, qui inde ad Reges Regnumq́; Poloniæ olim deferebantur, concedimus permittimusq́,: quod quàm primùm ex potestate Svecorum erepta, recuperataq́; fuerit, nemini quàm Suæ Seranitati Electorali, vacua ipsius possessio tradi debeat, citra ullas prætensiones vel dilationes, præsidio Suæ Serenitatis munienda, sinè ullo sumptu Regis vel Regni. quam quidem Civitatem Elbingensem eodem modo possidebit tenebitq́; & eà fruerurSuaSrrenitasElectoralis ejusq́;posteri atq́; à Nobis & Regno Poloniæ, ad hoc ultimum Bellum Sveticum Anno Dæmini 1655. tenebatur & possidebatur, etiam quoad Commercia & Iura aliarum Nostrarum Civitatum Pruthenicarum: nulla præterea Telonea nova instituendo,

Capitaneatus Drahimen. Serenissimo Electori Obligatio in Summa ultro concessa à Casimiro Rege Centum viginti Millium Talerorum. 30,

IOANNES CASIMIRVS Dei gratia Rex Poloniæ Magnus Dux Lith:, Russiæ, Prussiæ, Masoviæ, Samogitiæ, Livoniæ, Smolenſciæ, Czerniechoviæq;, nec non Svecorum, Gottorum, Vandalorumq; Hæreditarius Rex. Significamus præſentibus Literis Noſtris Vniverſis & ſingulis præſentibus & futuris, præcipuè ijs quorum intereſt. Quia ad tractandum cum Sereniſſimo Principe Domino Friderico Wilhelmo Marchione Brandeburgenſi, Sacri Romani Imperij Archi-Camerario, & Principe Electore Magdeburgi, in Pruſſia, Iuliæ, Cliviæ, Montium, Stetini, Pomeraniæ, Caſſubiorum Vandalorumq;, nec non in Sileſia, Crosnæ, Czarnoviæ Duce, Burgrabio Norimbergen. Principi Halberſtadij & Mindæ, Comite Monæ, & Ravensbergi Domino in Ravenſtein; certos deputavimus Plenipotentiarios illisq; cum Suæ Serenitatis Electoralis Plenipotentiarijs congreſſis, poſt conſtituta pacificationis & perpetui Fœderis inter Nos Regnumq, Poloniæ & ejus Serenitatem Electoralem Pacta, præterea & in alios de Conjunctione armorum Articulos (quos Pactis perpetui Fœderis Adiunctos, hic pro inſertis habere volumus) convenerunt, ac deniq; nonnullos ex iiſdm ad Noſtrum mutuum congreſſum & colloquium diſtulerunt: inter alia quæ ad nos ſupradicti Plenipotentiarij utriq; Deputati rejecerunt & remiſerunt, illud quoq; Articulo Tertio de Coniunctione armorum rejectum & remiſſum eſt, ut mutuo conſenſu determinaremus cum ejus Serenitate Electorali quantitatem & qualitatem copiarum quibus intra decennium poſt hoc Bellum finitum alter alteri ſubvenire teneatur. Itaq; in hunc modum inter Nos convenimus, videlicet: quòd Nos & Succeſſores Noſtri & Regnum Poloniæ octo Millia Militum: hoc eſt quinq; Millia equitum, tria verò Millia peditum ejus Serenitati Electorali ſivè ejus Succeſſoribus auxilij nomine ſubmittere debebimus. Sereniſſimus verò Elector Nobis & Succeſſoribus Noſtris & Regno Poloniæ medietatem harum copiarum, hoc eſt duo Millia peditum & duo Millia equitum ſubmittere debebit.

Quod verò attinet Summam pecuniæ, quam à Nobis & Regno Serenitas Electoralis ad Belli ſumptus & neceſſarios Militum delectus popoſcit. quoniam idquoq; ad Nos Articulo ſexto Tractatu de conjunctione armorum rejectum & dilatum eſt, conceſſimus & concedimus

dimus ejus Serenitati Electorali ad sumptus Belli & delectus Militum, quos toto hoc Bello sive citiùs sive tardiùs finiendo faciet, Summam centum viginti Millium Talerorum semel pro semper intra tres Annos à data præsentium exolvendam, ità ut quolibet Anno per hoc Triennium Quadraginta Millium Talerorum Imperialium Nos & Resp: solvere teneamur. Maioris autem securitatis causa & in eventum non solutionis Summæ præfatæ Centum Viginti Millium Talerorum cum Consilio DD. Consiliariorum Nostrorum, tam Spiritualium quàm Sæcularium, & ex Senatus Consulto inscribimus & obligamus Arcem & Oppidum Drahim; vigoreque præsentium in eundem Capitaneatum Drahimen intromittimus ejus Serenitatem Electoralem cum omnibus ejusdem Præfecturæ Drahimen: Vasallis, Subditis, fructibus, libertatibus, eminentijs, censibus, Proventibus, & pertinentiis universis & singulis nihil excipiendo, vel Nobis & Regno aut Successoribus Nostris reservando, pleno Dominij Iure, cum omnibus utilitatibus inde venientibus, tenenda, habenda, & possidenda eò usq; quoad prædicta Centum viginti Millium Talerorum Imperialium Summa Suæ Serenitati Electorali vel ejusdem Posteris realiter plenèq; persoluta fuerit. & quidem tali ratione, ut post exitum Triennij à data præsentium in causa non subsecutæ solutionis supramemorata Sua Serenitas Electoralis vel ejusdem posteri, prædictam Præfecturam Drahimen: cum omnibus eiusdem pertinentis supra expressis propriâ auctoritate: facta tamen priùs solutionis requisitione & denunciatione, sine additione alicuius Officii in Possessionem accipere, indèq; omnes fructus percipere, usq; ad plenariam inscriptæ Summæ solutionem Ius potestatemq; habeat. In quem casum Nos & Successores Nostri tenebimur & tenebuntur, possessorem vel Tenutarium sive Donatarium prædictæ Præfecturæ, aliâ condignâ ratione compensare. Suam Serenitatem & ejusdem Hæredes circa hanc inscriptionem tueri & contra quemcunq; evincere. Et hanc quidem Conventionem hisce literis comprehensam superioribus Pactis & Articulis Generali Ratificatione descriptis addimus, eandemq; vim & vigorem cum illis ex Senatus-Consulto habere volumus. Quodsi ob non persolutam præfatam Summam intra decursum Triennij, ejus Serenitas

renitas Electoralis Præfecturam Drahimenſem in Poſſeſſionem ſuam acceperit, tunc Religionem Catholicam Romanam in eo ſtatu quo nunc eſt in eadem Præfectura Drahimenſi conſervabit: Ius etiam Patronatus ad beneficia Eccleſiaſtica in eadem Præfectura Drahimenſi ſita Nobis & Succeſſoribus Noſtris Regibus Poloniæ reſervamus. In cuius rei fidem præſentes manu Noſtra ſubſcriptas: Sigillo Regni communiri juſſimus. Datum Bydgoſtiæ die 6. Menſis Novemb. Anno Domini 1658.

Commiſſio Cõmiſſariorum quotios opus fuerit, inſtituetur ab utraq; parte pari numero, ut omnium intereſſe ac inprimis Civitatum Noſtrarum Pruthenicarum habeatur ratio; nè illæ in ſuis Commerciis omnibusq; inde dependentibus præjudicium patiantur: ut quæ gravamina ac prætenſiones, quas inter ſe habere prætendunt, per Comiſſarios aboleantur. Vocatis ad diem Commiſſionis Civitatum earundem Pruthenicarum Deputatis.

Religionis Catholicæ & Auguſtanæ Exercitium Elbingæ liberum ſit, ſtatuſq, eiuſdem Religionis Catholicæ idem erit, qui ante hoc Bellum fuit. Iurisdictio Epiſcopi in Sacerdotes Catholicos, prout antè, integra maneat. Ius Patronatus eiuſdem Eccleſiæ Elbingenſis Catholicæ ad Nos ſpectabit. Templum Catholicis ademptum reſtituetur, proventuſq; & fundi omnes Eccleſiæ Catholicæ, quibus ante hoc Bellum ultimum Sveticum utebatur fruebaturq; reddentur. Catholicis præterea ad Magiſtratus acceſſus patebit.

De Summa juxta Articulum Octavum Fœderis perpetui exolvenda conventum eſt. quod Hæredibus in dicto Articulo deſignatis & deſcriptis in caſu ibidem expreſſo, Summa Centum quinquaginta Millium Talerorum Imperialium ſolvi debeat.

Quæ omnia cùm bene expenſa & ex Senatus-Conſulto peracta atq; concluſa ſint, in eorum fidem & maius robur, hoc Inſtrumentum manu Noſtra ſubſcriptum, Sigillo inſuper Regni Noſtri muniri juſſimus. Actum Bydgoſtiæ Die 6. Menſis Novembris. Anno Domini 1657. Regnorum Noſtrorum Poloniæ Nono, Sveciæ verò decimo Anno.

Con-

Confirmationem prædictorum Pactorum secuta est appretiata præcipitatio, & præcipitata traditio Regiomonti Nobilitatis Ducalis Prussiæ in servitutem, sublatâ penitus Apellatione etiam in gravissimis causis ad Reges Poloniæ *vti directos & immediatos Dominos*, nulla habita ratione, quòd RECOGNITIO & Ius Supremi Dominij, potissimum Apellationi subditorum niteretur. Nec deerant foris & Domi administrandi egregriè Rempub. exempla: cùm & CAROLVS V. Rex Francorum, licèt multa Imperij Iura IOANNI Duci Biturigum indulsisset, EXTREMAM tamen PROVOCATIONEM singulari exceptione sibi reservavit. Eâdem prudentiâ excelluisse SIGISMVNDVM seniorem Regem Poloniæ, qui cùm ALBERTO Duci post Plurimas Instantias, Apellationem ad suum Tribunal condonâsset, in gravioribus tamen causis eam sibi reservavit. Verba diplomatis manifesta in testimonium veniunt: Neq; verò levioribus causis adducti precibus illustratis suæ acquiescendum esse statuimus, quibus à nobis sollicitè atq; enixè contendit:

ut

ut diuturnæ controverſiæ de Appellatione ad Noſtrum Tribunal Regium, illi ex Ducatu Pruſsiæ deferenda finem aliquando imponere dignaremur. Qua de re cùm utrinq; diu diſceptatum inter nos eſſet, tandem adducti ſumus, ut nos pro amore, gratia & benevolentiâ noſtrâ benignè in hoc conſentiremus, ſicut & authoritate præſentis Diplomatis Noſtri pro nobis, & Sereniſsimis Succeſſoribus Noſtris Poloniæ Regibus conſentimus & volumus, nè ab illuſtritate ſuâ ad nos Tribunalq; Noſtrum ullæ per Appellationem cauſæ, toto vitæ Illuſtris Dñi in Pruſsiâ Ducis moderni tempore devolvantur, quàm eæ, quæ infra ſcriptæ ſunt. Nimirum quando Dux ipſe nullo lure, ſed manifeſta & notoriâ violentiâ aliquem ex Nobilitate vel in honore, vel in bonis & facultatibus ſuis enormiter lædit, nec ullum ei lus adminiſtrare, nec cauſam ejus legitimæ cognitioni juxta Pacta permittere vult deinde quando cum privatis litem exercendo Nobiles contra legitimum, & uſu receptum Ordinem atque proceſſum ludiciarium per præcipitantiam, quæ

rectè noverca justitiæ appellatur, notor iè gravantur aut injuriâ afficiuntur. Neq; id per naturam Fœudi & vim Iuris Reipub: Supremi Dominij ad Ducalem Prussiam, quod ex Casu Caducitatis Reipub: reservaro patet, aliter per enormem licèt Bydgostiensem Pactionem concedi potuisse. Quæ enim hanc usurpationem supremitatis non sunt insecuta facinora Reip: gravia, in Reges contumelioſa? Titulus Domini in Lemburg & Bytow, nullis Tractatibus, non Legibus Fœudi concessus: tantùm in præjudicium & villipendium Reipub: ac Supremi ejus Dominij adhibebatur. Boni Patriotæ Roth. ob pauca verba libertati Regnoq; amica, dura & implacabilis incarceratio, quamvis apud sæveriores etiam Dominos moris fuerit; *ut solùm facta arguerentur, dicta impunè essent.* hic Cives, quâ occupandi Ducatus vel graviorum facinorum argui non poterant, ob lachrymas & questus incusabantur: reos se tanti criminis tantùm pœnâ experti. Reductio monetæ argenteæ in Ducali Prussia | & Legibus bonæ vicinitatis contraria, cùm priùs: *de pretio, valore, ac æstima-*

Pactis

tione

one moneta libero& eiusdem cursu amicabiliter convenire neces-
se fuisset. Violenta Drahimi sub tempus In-
terregni interceptio, quasi invaliditatem ex
orbitate Reipub: per contemptum Duce expro-
brante. nulla *Requisitione Summæ apud Rempub: & de-
nuntiatione* facta ut conventum erat; enormem
Pactorum violationem arguit. Vsurpatus sub
Nova Civitate, in fundo Reipub: per Vistulam
Trajectus. Interceptio Postæ & in suum jus vin-
dicatio, an non gravis hæc læsio Regis & Rei-
publicæ? cùm plurimi Mercatorum Gedanen-
sium Iure & Patrocinio Reipub: securi, ob ini-
quissimam & Iuribus Gentium adversam Ber-
lini Postæ detentionem; ingentium summarũ
grande dispendium pati cogerentur. Nam an-
no 1676. feruente inter Ducem & Regem Sve-
ciæ, bello, cùm sub specie hostilitatis & præte-
xtuosæ necessitatis obtentum consvetus Postæ
per Stetinũ cursus interversus sit, ac per paludo-
sum anfractum Berlinum ordinatus, quasi ob
difficultatem itinerum & reparandorum sum-
ptuum, auctum à Duce, sinè consensu Regio
cõtra transactionẽ 1660 imi & Assecurationem à

Duce Domini Baronis ab Houverbek, Postæ pretiũ; & quia præjudicioſa pretij impoſitio ſolui ſinè conſenſu Regiæ Majeſtatis á Civibus Gedanenſibus non potuit, abrepto ſigillo reviſa literarum ſcrinia, numerati codicilli, novæ confectæ Chartæ, & quia violentiâ non ſtatim ad illiciti pretij penſionem cogi poterant, retẽtæ à temerariis ſervitoribus in Camera contra omne fas ac lura Gentiũ literæ, exindeq; interrupta mercatorũ correſpondentia, Frumenta è Regno venientia vili pretio diſtracta, multorumq; millium imperialiũ in mercibus, Inquilinis Gedanenſibus inflictum damnum. Sed graviùs eadem lura Gentium, Sanctè olim & integrè etiam à malis Principibus culta, in KALKSZTEIN Nobili Prutheno inaudito exemplo violata ſunt. qui inſimulatus ſiniſtri de Duce ſermonis, & ob alia vana, ſi molliùs acciperes, potiùs miſeranda, diu in cuſtodia habitus, dein bonis Fiſco addictis, ut langvidam mortem inter diuturnas calamitates exigeret, ſub tempus Comitiorum cum querelis ad REGEM MICHAELEM acceſſerat. hic ægrè finitis Comitijs

gravi

gravi Ducis honori ministerio, quia flagitioso, fœda residentis sui pro tunc in Aula Brantij fraude raptus, & Duci transmissus, primò stricto carceri traditus, dein eqvuleo tostus, postremò manu carnificis perditus est. Nil tale Majores Nostri viderant, nihil in exteris Gentibus accidisse audiverant: Principem Fœderatum, socium & amicum, adversùs Dominum & Patronum, ruptis reverentiæ, & Iurisjurandi de *non lædendo unquam REGE & Regno* vinculis, tantum facinus peregisse. sequentibus deinde Comitijs, cùm ob turbida factionum deliria, & atrocissimas Procerum adversùs mitem Principem, & segniter injurias ferentem conspirationes, motus, & Ordinum dissidia, cuncta malefacta impunè cedere videt, Deputatos suos, quos juxta Pacta ad Recognitionem Iuris Fœudalis ratione Lemburgi & Bytowiæ pro Comitijs Coronationis mittere debuerat, juxta expressam conditionem Pactorum: *ad singulas Coronationes mittere tenebitur & obligatus esse debebit*, per injuriam Reipub: & supinum Regis contemptum distulit. tandemque cùm 1670mo

ad

ad Comitia Regni Deputatum ſuum Dominum liberum Baronem ab Howerbek, miſiſſet, alterumq; illi magís in impedimentum negotiationis, quàm pro ſocio & Collega adjunxiſſet: ut Iuramentum ex pactis debitum ſuper firmitate Pactorum Bydgoſtienſium Nomine Ducis Electoris præſtarent, ſimulq; præſtari Nomine Sacræ Regiæ Majeſtatis requirerent, quas non illi tricas cum miniſtro Status, omni exceptione majori Illuſtriſsimo OLSZOVIO Pro-Cancellario Regni egerunt de titulo DIRECTI DOMINI Sereniſsimo REGI exhibendo: cùm tamen illi ipſi nihil aliud tum agerent, niſi ut tempus lucrarentur, & quem defendere non poſſent errorem cuncta miſcendo: ſocietate culpæ evaderent. quippè in omnibus punctis Pactorum conditionibus contraveniendo etiam ad Recognitionem Fœudalem ſuper Lemburgum & Bytowiam *per duos ſeu plures Conſiliarios* peragi debitam, ſoli tantùm Domino Howerbek, ea in Provinciam demandatam eſſe fatebantur. Poſtremò cùm à Sereniſsimo Poloniæ Principe ad Iusjurandum Recognitionis admitti non

poſ-

possent, utpote non oblito conditionis Principe, quas in capitulatione cum Ordinibus Regni inierat & juramenti Religione firmaverat: *vt controversias quasvis cum Serenissimo Electore intercedentes sua Regia Maiestas complanari curet*, præcipites Varsaviâ abierunt novum turbidi consilii facinus ausi: Protestatione ad acta Sochacovienſia contra Regem Dominum & Patronum facta. Id verò quàm injurium in Rempublicam: quàm illorum & Principalis existimationi damnosum, non sopitis inter Rempub: & Ducem controversiis, non expensis utrinq; prætensionibus, (an satisfactio summarum ratione Elbingæ & Drahimi, summis, quæ Subsidii nomine, Sciscendorum Tributorum: certarum rerum judicatarum Mulctis, Iure & Pactis Regum Poloniæ Majestati debitis solutione mediæ Partis Vectigalium è Portu Pilavienſi compensari possent: dum ex restanti haud dubiè non uno millione exhausto Reipub: ærario subveniri posse, spes bona esset. quarum summarum pensiones sinè ulla controversia ad diem usq; Pactorum Bydgostiensi-

ensium teneri Prussiæ Duces exoluere jusris-
jurandi Fiduciarii obligatione, extra omnem
ambiguitatem positum est. Accedunt exacti-
ones Varmienses, nullo Iure usurpatæ, sexa-
ginta tormenta ex Arcibus prædicti Episcopa-
tûs auecta, non expedita aliquoties ad bel-
la Moscovitica auxilia: facilè prætensas super
Elbinga & Drahimo summas antiquare pos-
sunt) vi cuncta à Regibus in turbido; aut gra-
vibus Reipub: temporibus, per summam lu-
rispublici injuriam velle extorquere. nam Do-
mini Delegati Ducis in Prussia facta protesta-
tione: cùm superbiam expleviſſent, etiam cõ-
tumeliam adjecerunt. Sed ut Ius Reip: ad Por-
tum Balgen & Teloneum Pilavienſe magis in
aprico ponatur, & quanta machinatione Du-
cum Prussiæ notabilis Proventus Majestati Re-
gum Poloniæ debitus cum summa oppressione
Cameræ Elbingam translatæ alienatus. nec ul-
lâ necessitate, beneficio aut pretio, nullis de-
niq; Pactis cum atroci diminutione proventuum
Regni læsione juris Reipub: teloneũ Duci conces-
sum; verùm technis & pravo artificio Regibus
Polo-

Poloniæ ereptum sit altiùs repetenda venit juris Reipub. ad Teloneum Pilavienſe memoria. Poſtquam victis Crucigeris, Poloni armorum potentiâ omne jus eorum in ſe cum poſeſsione Pruthenæ Provinciæ transtuliſſent: Ditionem, Vrbes, Arces, Portuſq; illorum paruêre Imperio nè conceſſo quidem Marchionibus Brandeburgicis Ducatu Pruſsiæ, ulla de Teloneo Pilavienſi inter Reges Ducesq; controverſia, donec ſenſim Noſtris calamitatibus & incuriâ Regũ audentiores facti; Primus Georgius Vilhelmus in Pruſſia dux, ejus rei quæſtionẽ mouiſſet; hic tamen Ducis conatus ob difficultatem molimînis effectum ſortiri non potuit. Quidquid etiam olim inter Divum VLADISLAVM IV. Poloniæ & Sveciæ Regem in Ortelsburgenſi conferentia ſuper Pilavienſis Telonei participatione conventum erat; magis contrahentium aſſenſu& memoriâ, magisq; Regio & Electoris nitebatur verbo, quàm ullo literario monumento, cùm nec Reſp: nec Ordines Provinciæ Pruthenæ aliam unquam, quàm ex effectu hauſerint informationem. Primũ enim

in Anno 1638. Postquam Horoscopus Ducis Prussiæ fortunatam periodum felicitatis & agendarum ubique magnâ cæli virtute actionum attigisset, inita ad biennium cum Duce Prussiæ Pacta, quibus quatuor nummorum in Portu Pilavienſi à Mercibus ſoluendorum Exactio ſtatim in immenſum aucta : à quo Teloneo Elbingenſium merces debebant eſſe immunes; nec in Portu Pilavienſi quidquam præter Datiam (vulgò Phalgelt) ſolvere tantùm adſtricti erant, perceptio verò novi hujus Telonei Elbingæ inſtituebatur, Directio in utroq; Pilavienſi & Memelenſi Portu Duci concedebatur, cujus Electorali verbo, de adminiſtrando hocce Teloneo ſinè ullo jurium Majeſtaticorum præjudicio, Regia Majeſtas acquieverat. in cujus honorem, utq; magis jura Majeſtatis firmarentur; Adminiſtrator Telonei Regio nomine admiſſus eſt ſpeciali etiam juramento Electori obſtrictus. Ex iſto Teloneo: deductis ſumptibus in conſervationem Portuum & Munitionum reparationem prænumerandis, medietas S. Regiæ Majeſtati remanſit, adjectis quibuſdam conditioni-

tionibus in Generali Conventu Ducatus Prussiæ, imminentibus proximè Regni Comitijs utrinq; adimplendis. cùm verò in eodem Conventu Consilia tardiùs tractarentur, & in subsequenti Anno Electoris Brandeburgici mors interveniret; imperfectum mansit negotium: donec in Anno 1640. sub præsentia D. D. Commissariorum reassumeretur intermissus Prussiæ Conventus, Sed cùm id negotium de tempore in tẽpus traheretur, Año sequenti 1641. missus à Rege D. Gerhardus Comes à Denhoff Æconomus Mariæburgensis ad Electorem Fridericum Vilhelmum ante solennia Investituræ: is acriter coram Duce conquestus; quòd intra biennium ex instituto in Portu Pilavensi Teloneo, nihil de Perceptis exindè emolumentis ad S. Regiam Majestatem pervenisset, nullæ deniq; Rationes Expensarum juxta Pacta non ità pridem inita, ad notitiam Regiæ Majestatis deductæ essent, seriò expostulans: ut de binumali hoc maritimo Proventu in præsentia sua (& idem Verba instructionis sonabant) rationes instituerentur. Insuper requisivit; ut quando

Teloneum sinè consensu Regio actum esset, etiã auctio Portionis Regiæ in Portu Pilavienſi ſequeretur. Deniq; ut merces Elbingenſium; quæ in eodem Portu ab Exactoribus ultra modum & conditionem Pactorum aggravarentur, à talibus oneribus in posterum eximerentur. Ergo Elector in Regiam Majestatem Filialem cõtestatus obſervantiam, Legatum in ipsa Residentia ſingulari prosecutus est benevolentiâ; ad postulata verò magnâ animi moderatione respondit: quòd ante juramentum præstitum nihil sibi in Regimine Pruſsiæ concederet, quando ex præscripto Pactorum jus omne administrandi Ducatus D. D. Regentibus ultrò ac libenter detuliſſet. Subdolâ modestiâ occaſionem (quando opportuni honeſtis conatibus tranſitus rerum) jus ſuum Regibus vindicandi eludens, ſimul implacabilem adverſùs commoda Reip: mentem occultans; quod postea patefactum est. Nam post præstitum Juramentum & collatam ei investituram; cùm arctioris Conjunctionis per affinitatis nexum & majoris emolumenti ſpes ex Duce affulgeret, ceſſatum

ali-

aliquantisper à Rege ab illa Instantia. Sed post consumatas Neoburgici Principis cum Catharina Regis Sorore Nuptias; rursum acriùs de satisfaciendo Regi & Reip: Dux Prussiæ cæpit urgeri. Nam cùm nec in Portu Pilavienſi Exactiones, nec Mercatorum Elbingenſium querelæ cessarent, Regia Majestas promptũ & æquum sese Iudicem obtulit; si Elbingenses se viâ juris ab hoc onere liberarent: Verum Elector, seu vinceret in hac causa, sivè vinceretur, indignum ratus cum Civitate in arenam descendere, ad solitas artes conversus, tandem consensit: ut de mercibus quibũscunq; Elbingensibus, Portorium Elbingæ colligeretur. Ejus collectæ initium factum, & statim interventu mortis VLADISLAI IV. Regis, grandis obex positus est. gliscentibus insuper in Regno intestinis discordiis, & ingruẽte diuturno bello Cosatyco Ioannes Casimirus Rex & Resp. gravioribus curis involuta: tandem bello Svetico oppressa, velut Fatorum arbitrio, salutari negotio silentium dixit. postremò infami Pactione Bydgostiensi, ut cessarent à querelis, Elbin-

genses

genſes perculſi, ratione Hypotecariæ prætenſionis; continuam quaſi formidinem ſimulabant ſed gravior metus erat pavidi Magiſtratus; nè ſi ille rurſus reſtitutionem Cameræ & immunitatem ab injuſtis Pilaviæ Exactionibns proſuis Ciuibus à Rep: peteret, pateret ejus fraus in uſurpandis Teloneis, quæ ſub nomine Culaga & Anlaga à prædicto Magiſtratu Elbingenſi exiguntur, & in quos uſus, Regum Poloniæ Majeſtati debiti proventus, tot per Annos reverterentur. Hinc Elbingenſium in promovendis publicis commodis & commerciis ſolitus langvor, hinc Regibus Poloniæ debiti Proventus, cum Portorii confuſione, flagitioſa diminutio. Hinc notabilis Civium Elbingenſium egeſtas: quorum merces modò à Magiſtratu Elbingenſi gravi Teloneo Anlagæ; modò ab Exactoribus Ducis Pruſſiæ enormi Vectigali, Pactis & Iuribus bonæ vicinitatis contrario, Pilaviæ expilantur, Ex his præmiſſis advertere licet, ſimile quondã ùt SIGISMVNDI. I. Poloniæ Principis, ſic LOTHRARII Franciæ Regis fuiſſe erratum in conceſsione LOTHARINGIÆ in

Fœu-

Fœudũ externo Principi, qui deinde ùt sunt talium Principum ingenia, potentiæ anxia, multa diuersis & ob seditiones graueſq; tumultus Regibus iniquis temporibus contra Dominos ausi. frustra nec in longum placata (adjectione ad Fœudum Ducatus Barrensis à CAROLO IX. dein HENRICO III. Galliarum Regibus) Ducum illorum arrogantia. donec LVDOVICVS XIII. Regni jura & suam vltus est armis Majestatem. LVDOVIQVS autem XIV. ob nova data Anno 1634. Cæsarianis auxilia, Duce Lotharingiæ à Rege pro hoste declarato, ac à Parlamento Parisiensi latâ sententiâ omnibus ditionibus spoliato, recepto Ducatu & pulso principe omnem ademit nocendi facultatem expedito satis consilio: quod Fiduciariorum Principum ingenia nunquam quieta, nullis beneficijs obligari possint; dum semper nimiæ potentiæ intenta incremento, inter grãdiora damna & injuriæ Nomina reponunt; si à Magnanimis & Bellicosis Dominis Legibus Fæudi vivere teneantur. At Resp: Polona sua damna & dedecus dum solitâ facilitate sanare putat

tat, parûm ſolerti conſilio, venturam mox graviorem periculorum accerſit molem. Neque viſum expeditius Remedium, contra potentiam, quæ Legibus frenari nequit. ſed ad occaſiones malorum Reip: intenta, promptiùs ſub ſpecie amicitiæ è vicino carpit vires; quàm ſi illud expedito ad fortia conſilia animo firmum retineatur : PACE SVSPECTA TVTIVS BELLVM.

FÆVDVM DVCIS CVRONIÆ & SEMIGALLIÆ

EAdem potentiæ cupido, idemque DVCIS CVRLANDIÆ contra Remp: animus, machinamentis & arte abſolutam ſibi firmandi Dominationem, quam in minori potentia vi & arte perficiendi, nondum Reipub: Status permittunt Rationes. Nam Epiſcopatus Curonienſis, qui nunc Diſtrictus PILTENSIS Nomen obtinuit, grauis Nobilitatis OPPRESSIO APPELLATIONVM poſt Curiam Regis objecta Nobilitati à Duce impedimenta, quid aliud

ud ſunt, niſi meditaměta & illiciti auſus affectati contra Iura Regni, Iuratasq; Leges Fœudi in liberos Populares Dominij? ut verò meliùs eæ artes ac Ducum Fœudatorum propenſio in Rẽpub: noſcantur, & quàm malè Dominationis cupidinibus flagrans cum obſequio conveniat animus, quamq; periculoſa ſit in adverſis Reipub: ſimulata illorum fidelitas certiſſimum quãdoq; ad interitum Reipub: additura ſuffragium: non alienũ puto, memorare Originẽ Ducũ Curlandiæ, qvàm variâ ſorte, conditione, moribus denique egerint. Mutationem Religionis certiſsima mala: ſeditiones Populorum, excidia Gentium & in univerſum atrocem Imperiorũ Status ~~con~~verſionem ſequi, pluſquam notum eſt. Hæc Cauſa Ordini Crucigerorum in Pruſſia, hæc Magiſtris in Liuonia infauſtum Dominationis exitũ acceleravit. Orta enim de Religione inter Magiſtrum Livoniæ & VILHELMVM Archiepiſcopum Rigenſem de Domo Brandeburgica diſſenſione, ad arma ventum: captuſq; Archiepiſcopus, in Arce Kokenhauſen à Magiſtro Ordinis detinebatur. monitus de

hac injuria à SIGISMVNDO AVGVSTO Poloniæ Rege, contemptam Regis habuit requisitione m. ergo Princeps vindicaturus Majestatem ſuam & Nepotis ſui contumeliam, centũ millibus inſtructo Exercitu Livoniam intravit: ſtatimq; armis, Arcibus, & totâ Provinciâ Magiſtrum deſertorem Religionis exuit. Regreſſo in Regnum Auguſto & ſupplice Magiſtro in clientelam recepto, Dux Moſcoviæ ad occaſiones intentus, & ob ſpretum patrocinium ſuum Livonibus infenſus Epiſcopatum Terpatenſem Triginta Millium Exercitu invaſit, Vrbemq; Torpatum cepit: Liuones cùm auxilium CÆSARIS invocâſſent, dein ut tardum ſpreviſſent, rurſus ad SIGISMVNDVM confugerunt, qui illorum ſuſcipiens patrocinium, auxilia præbuit, & hac occaſione, cum Moſcorum arma contra obduratos Prouincialium ad defenſionem animos & ob auxilia à Rege non ſegniter ſubmiſſa parùm in Livonia proficerent, Verſæ continuò in Lithvanos Moſcorum Ducis vires: ſimul eodem tempore Arx munitiſsima Polocko amiſſa. At AVGVSTVS noſter pulſo è tota

Livo-

Livonia hoſte, quo prouincialium c̄oncordiæ proſpiceret, Theutonici Ordinis authoritate in Provincia ſublatâ, GOTHARDVM KlEtlerũ ex Nobili Familia in VESTPHALIA natum ex Magiſtro Ordinis Ducem CVRLANDIÆ fecit; receptoq́ ab ipſo, tum & ab Archiepiſcopo Rigenſi ejuſq́ Adjutore Duce Mekelburgenſi Iurejurando FIDELITATIS in SOCIETATEM Regni Poloniæ & Magni Ducatus Lithvaniæ admiſit. Semigalliæ quoq́ & Curlandiæ Provincias ſimili ratione, qvas è Crucigerorum jugo liberatas in tutelam Polonæ Reipub: ſuſceperat, illasq́ in adminiſtrationem ſtirpi ejuſdem GOTHARDI KETLERI, eò quòd is SVMMVM IVS Magiſtri in Livonia ceſſerat Reipub: Polonæ, FIDVCIARIO TITVLO commiſerat. rexeruntq́ paucas per ætates per ſummam modeſtiam Provinciales, dein revocato ſibi priſtinæ potentiæ ſtudio, primò flagranti conatu ad proferendos Provinciæ limites accendi, dein Populares libertatis ſuæ memores. duro imperio ad patientiam ſervitutis auſi ſunt exercere. Nam primus Dux Curlan-

diæ GOTHARDVS KETLERVS pro certa pecuniæ ſumma à IOANNE MVNCHAVSEN Epiſcopatum Curonienſem (qui poſtea ſublato Crucigerorum Ordine diſtrictus Piltenſis, ùt retuli, vocatus eſt) Regi Daniæ FRIDERICO venditum, & deinde à Fratre Regis Holſaciæ Duce Nomine Magno, vigore ceſsionis loco portionis Hæreditariæ paternæ Ducatus Holſaciæ deoccupatum, reunire Curlandiæ volens, Duci Magno Arcem Sonneburgam Curiaſque in Inſula Oſolienſi LEAL & MADZEL in vim permutationis offerrebat, idq́ & Sigismundus Auguſtus Rex circa Ius Primæ Inveſtituræ Ducis, gratam ſibi fore eam promisit Permutationem. Stetit q́ inter Ducem & Magnum ea permutatio, ſed ob flagrans bellum Moſcoviticum ab adeunda Diſtrictus illius poſſeſſione Duci Curlandiæ impunè fuit quo tamen Magnus Ducis Curlandiæ Fiderici animum deliniret. pro vero eum ac legitimo Succeſsore Diſtrictus Piltenſis adoptavit & conſtituit; totusq́ Ordo Nobilitatis ſub dio ad Templum Seldinenſe congregatus, in præſentia Conſiliariorum Ducis

cis Curlandiæ sanctè promisit: se post Fata Ducis Holsaciæ nulli alij, nisi Ducibus Curlandiæ pariturum & Dominium eorum agniturum, salvo tamen Superioritatis jure & Directi Dominii Sereniſsimorum Poloniæ Regum.

Extincto Duce Magno, rursus Rex Daniæ, Jus sibi in Districtum vindicabat, sed armis Stephani Regis deterritus, æquis conditionibus Georgio Friderico, Marchioni Brandeburgensi, pro summa nimirum triginta millium Imperialium venditum in realem possessionem tradidit. Tandem post multas supplicationes Friderici Ducis Curlandiæ, sub tempus Comitiorum ad REGEM & Remp: permissa redimendi facultas Deputatiq; Commissarii Regii Anno 1697. Duci Curlandiæ Friderico, Territorium Piltense cum omnibus attinentiis adjudicârunt. Provocatum ab hoc Decreto ad Regem nomine Marchionis, Apellatione verò in Judicium Regium deducta, negotium compositum: sed jure Ducis Curlandiæ salvo, Marchioni ejusq; Conjugi Districtus Advitalitio jure concessus est. Nihilominus Duces Curlandiæ

diæ in omnibus Comitijs diligenter urserunt, quo vigore Pactorum & investiturarum Ducalium, Districtus Piltensis Ducatui Curlandiæ reuniretur: Sed obstante jure Advitalitio Viduæ Anszpachianæ, redimendi quidē facultas memorati Districtûs per Constitutionem 1609 & Anni 1611. facta, sed ad Fœudum, adjungendi & Ducatui Curlandiæ incorporandi potestas non permissa.

Nam illud cùm sæpiùs Duces Curlandiæ apud Reges Poloniæ petijssent; post tot molestas Instantias, tandē juxta consvetudinē Patriarum Legum, & Publica Iura Regni ad Rempublicam remissi sunt; prout Responso Vladislai Quarti declaratur: de negotio adjungendi Districtus Piltensis Curlandiæ Ducatui cùm res sit, de qua privatâ auctoritate Regia Majestas statuere non possit, futuris in Comitiis tractandum relinquit. Anno deinde 1644 Dux Curlandiæ cùm Meidelium Gubernatorē Piltensem, ad Regis Iudicium citâsset, volens deducere: quòd Districtus Piltensis ratione Investiturarum, & jure Fœudi ad Ducatum suum

perti-

pertineret, in probatione defecit, unaq; in puncto Fœudi & Exemptionis Actor incompetens, ex seriis partium controversiis per Decretum pronuntiatus. Verùm & antehac Constitutione 1611. non modò jurisdictio Districtus Piltensis Nobilitatis per proprios Magistratus à jurisdictione Ducis Curlandiæ distincta est, sed etiam Articulus eidem Legi publicæ de Reemptione Territorii Piltensis insertus, suffragari Duci Curlandiæ non potest. cùm eodem Anno, quo privatus Fœudo Dux fuerat, eodem quoq; tempore jus redimendi Territorii simul amisisset. Proscriptus & beneficio Fœudi totoq; Ducatu Regio exutus Decreto Vilhelmus Dux Curlandiæ ob necem Magni Noldæ perempti à suis stipatoribus, quod exilium octodecim annis toleravit; ad Vladislai quarti usque tempora: à quo denuò Ducatui Curlandiæ, Regis & Reipub: mandata Auo meo, Ioanne Zawadzki Palatino Parnavienſi obeunte, restitutus est. Sed ut ad Reemptionem Ducis Curlandiæ Districtus Piltensis, sive ob ambitum perditas frustra notabiles summas, &

ex

ex eo quomodo inæstimabile famæ & existimationis detrimentum pertulerit, redeamus; placet recensere: quomodo Dux Curlandiæ à Ioanne Sigismundo Brandeburgico Vniversali Hærede Marchionis Georgij Friderici, numerata summa triginta millium talerorum, & tradita sibi reali possessione, denuò ob non solutam annuatim mille florenorum summam Viduæ Anszpachianæ, rursus ab ipsa vigore Commissionis 1617. celebratæ occupato Territorio, ac Hermanno Meidelio mediante contractu Possessione Districtus tradita, pulsus sit; & tandem extincta Vidua Anszpachiana iterum eundem Districtum mediante Vladislai Regis consensu Triginta Millibus Imperialium reluere Meidelio, necesse habuit.

Nondum hìc finis litigationum Ducum Curlandiæ pro districtu Piltensi. Hostilitate enim à Svecia in Poloniam irruente & grassantibus ubique armis deoccupatum à Svecis prædictum Districtum Dux Curlandiæ inglorio opum dispendio à CAROLO GVSTAVO Rege Sveciæ centum quinquaginta Millibus florenorum

rum liberavit à direptione. Hunc prætextum juris in Districtum Piltensem non erubescit Author inter deductionem juris Ducum Curlandiæ in Districtum Piltensem, inter legitimè quæsita Iura referre: *quòd Dux Curlandiæ, apprehensa legitima Possessione, tota Nobilitas sponte atq; liberè se jurisdictioni illius submisit eandemq; agnovit.* Cùm tamen triennio pòst rupta Neutralitate (quasi uindicante Cælo pessimi exempli Ducis in Remp: facinus: quòd eventum potiùs armorum spectaverit, quàm justam Reipub: causam secutus sit) à Dominis suis & amicis non modò Ducatu & districtu Piltensi, sed libertate & ipsâ ferè vitâ exutus fuit. Accessit in partem iacturæ honoris, gravius vitæ dispendio detrimentum, flagitiosa cum hoste Ducis de Patrimonio Reipub: negotiatio. nam cùm nullum legitimum solidumque Ius à Primæ Investituræ tẽpore, vsque ad CAROLO Svecicum in Poloniam bellum à Ducibus demonstrari possit, ex condicto cum hoste, Ius sibi in partem ditionis Reipublicæ arrogare, injuriosum esse & ubiq; Gentium detestabile. Cessionem porrò Regis Sueciæ allegare,

quæ amentia est, cùm res alterius Domini ab usurpatore alienari in præjudicium Directi Domini nullatenus possit: neq; Fœudatario Duci ac fidelitatis Iuramento Reipublicæ obligato eo rerum temporisq; articulo, Tractatum inire super eo cum hoste negotio, satìs patet, licitum non fuisse. Memini eo tempore querelas in Comitiis 1670. sub Rege Michàéle Nobilitatis districtus Piltensis, & ambiguos de Duce sermones, asserentium: summam, quam Sveco Dux largitus esset, per Contributiones è Districtu Piltensi statim recepisse, proindè non ex ærario Ducis, sed è Nobilitatis censu coactâ pecuniâ à Svecorum Imperio liberatos, an decebat nos libertati nostræ aut Reipub: Dominio non restitui? sed sibi Ducem, Hæreditatem Reipub: vindicare contra jura publica non erubuisse nec tanti facinoris dedecus cum accepti à Rep: beneficij memoria contuliſse. Honestius id quà in publicum, salubrius, quà privatim fuisse, si notabilem summâ Dux in defensionem destitutorum à præsidiis Fortalitiorum ea tempestate impendisset, non

peri-

periissent velut una hora opes, non modò nostræ, sed & plurimorum celebrium Virorum, èbona vicinia Magni Ducatus Lithvaniæ ad Fortalitia Ducis in spem securitatis ex neutralitate cum Svecis inita convectarum quas paulò pòst siue ob metum, seu necessitate victricium armorum, singulari mandato suo hosti prostituit prodiditq́. Illud verò quod de Pactis Olivensibus allegatur insipidum prorsus est, & magis ad impedimentum, quàm ad probationem causæ videretur pertinere: Vt verò Sveci Triennio post rupta neutralitate atq́ capto Duce, integram Curlandiam & incorporatum Districtum (scilicet à Sveco) Piltensem post quietam possessionem (ab hoste non ità pridem traditam duci) occuparent, non tamen Sacra Regia Majestas, & inclyta Respub: Polona, hoc Iuribus Ducis in districtum Piltensem acquisitis obstare voluerunt, sed durantibus adhuc tractatibus Olivensibus, die trigesima Aprilis, Anno 1660. Rescripto suo transactionem & Iura Ducis acquisita confirmavit, & postea instrumẽto pacis Oliuensis sexto

& octavo, Districtum Piltensem à Provincijs, quarum utile & Directum Dominium ad Regnum Poloniæ, & Magnum Ducatum Lithvaniæ spectat, separârunt, & Ducatui Curlandiæ & Semigalliæ adjunxerunt. quoniam omnes allegationes & inscriptiones per Ducem Curlandiæ obtentæ, vigore eorundem Pactorum Olivensium Articulo decimo, totaliter cassantur & annihilantur. nam tantum potestatis non modò Pactis Olivensibus, verùm etiam nec ullis Commissionibus à Repub: concessum fuisse, multò minùs Rescriptis Principum alienandi Provincias, quæ juris Publici essent, & sinè Consensu Totius Reipub: fundamentales Regni id fieri vetent prohibeantq; Leges. Nec alio fine constitutio 1611 & 1644 & post redditũ Trubecense Territorium Moscorum Duci Lege 1646 cautum est, nè inposterum Districtuum alienatio fieret, sinè Scitu & Consensu Omnium Reipub: Ordinum, ad extremum id repugnare conditioni Pactorũ Conventorũ tot Regũ Poloniæ, de recuperandis non alienandis Provincijs. Id nuper Regi Michàéli, inter malæ

Admi-

Administrationis Regni documenta, à summis Proceribus Reip: objectum, ad provocandum Populi odium, si modestiùs artes suas invidia exercuisset, sufficiebat: quod procurante Roth è civeKienigsbergẽsi Aulico suo, sine scituOrdinum, imò nulla notitia Sigilli Custodum Rescriptum extradi Rex Duci Curlandiæ mandâsset supra districtum Piltensem, inter Curlandiam & Samogitiam, ad triginta milliaria Polonica littoris Maris Balthici in se continentem: appropriando illud in Fœudum & ratificando prætensum jus Ducis in tam insignem portionem ditionum Reipub: ad solum Regnũ Poloniæ exantiquo pertinentem: non expectata decisione Reipub: quam enixis precibus Nobilitas Piltensis, propriis viribus eò usque Duci Curlandiæ resistendo per tot Comitia instantissimè flagitando, magnifica insuper promissa petitis adjiciebat: & quasvis externorum bellorum necessitates duo vexilla Equitũ Germanorum Legionemq; pedestris militiæ Reipub: offerendo. Reclamabant huic præjudicio Reipub: Custodes Legum, sed magis è diversi-

verso ad deteriora accendebat pessimum in Rempub: exemplũ, confirmatio scilicet Pactorum Bydgostiensium, cum Duce Prussiæ (quæ post hæc insecuta est) non inito cum Deputatis Ducis Prussiæ calculo, non expensis utrinq; prætensionibus, graviori malo ob fatalem socordiam, circa bonum publicum & temeritatem Regentium Rempub: involvit. Verùm per tot ambages, non tam de possessione Districtus Piltensis Ducibus Curlandiæ quæsitum, quàm ut sublatis Appellationibus post Curiam Principum Poloniæ Recognitionem Supremi Dominij Regibus eriperent, nam illa nomina Permutationis, Reemptionis, ab hoste Sveco Comparatio juris, quid sunt aliud: nisi quæsitus color Hæreditati, ad explendum gustum in liberos Cives absoluti Dominij. Nam ipsa Allegatio inter cætera, quòd districtus Piltensis, inter Curlandiæ limites contineatur, & hoc ipso quasi argumento eum ad Ducis ditionem referri eò magis ipsam aggrauat probationem, quandoquidem non alia bona, sed ea solùm, quæ à Magistris Ordinis Theutonici possessa fu-

êre

êre per Primam Investituram Ducibus Curlandiæ in Fœudum à Sigismundo Augusto Rege Poloniarum concessa esse. Episcopatum verò Curonienſem nullatenus ad tabulas Fœudi referri posse, cùm divisus semper & iure & limitibus à Ducatu Curlandiæ fuerit, quòd verò nunc cum terminis Curlandiæ commistus sit, causam in aperto esse: vicinam Limitibus Curlandiæ partem Districtus Piltenſis quamvis nullo iure sibi competentem á Duce ditionibus suis adjunctam, quâ redditâ & antiquis restitutus limitibus Districtus Piltenſis, extra terminos, ùt olim; Curlandiæ constituetur. Vt verò magis pateat simulata hæc species, quæsiti Ducibus ad Districtum Piltenſem juris, ipsũ Investituræ authographum consulendum est, in quo per expressum videtur adjectum: sed quoniam permutatio hæc effectum non est sortita. Ad extremum haud dubiè convincit Ducem animi ad injuriam Reipub: parati, nimia affectatio absolutæ potestatis; quam Duces in liberam Nobilitatem sublato Appellationum ad Reges beneficio, moliuntur. cùm minimè la-

teat

teat Duces per Actum Incorporationis Anno 1583. Ducatus Piltenſis ad Reipub: corpus, Incolas ejus, Nobilitaris Status ad omnia Regni munia admiſſos eſſe clariſsimis verbis conſulentibus libertati popularium Poloniæ Regibus, dum in Privilegio Incorporationis dicitur: *Communi cum reliquis Regni Incolis ſorte cenſebuntur.* Iuramentum quoq; 1590. Fidelitatis, non Duci à nobilitate, ſed Reipub: Regnoque præſtitum. Iam verò actu Commiſsionis 1617. ſufficienter deſcripta forma judiciorum Diſtrictus Piltenſis, certus numerus judicum Regis & Ordinum Regni nomine aſsignatus; liberum exercitium Romano-Orthodoxæ Religionis firmatum, Appellationum modus à Magiſtratu Piltenſi, non ad Duces Curlandiæ, ſed poſt Curiam Regum Poloniæ conſtitutus. Cõmiſsio enim per Conſtitutiones 1661. & 1667. in præjudicium immunitatum Nobilitatis trahi non poteſt; quia ùt Lex temporaria evanuit, ad certas tantùm differentias, inter Ducem & nonnullos Incolas Diſtrictus Piltenſis ſopiendas aſsignata, quæ ſi nondum compoſitæ ſunt,

manet

manet utriq; Parti regressus ad Reipub: auctoritatem. Neq; sub interpretationem prædictarum Legum Constitutio Iudiciorum aut Nobilitatis Piltensis prærogativæ trahi possunt; quandoquidem jam antea, nulla post hæc insecuta in juribus publica mutatione, insuper Constitutione 1611mi. & Decreto 1644ti contra Ducem lato, satis judicijs districtus Piltensis à Repub: sit provisum, concessa Nobilitati à Ducis Curlandiæ Foro distincta jurisdictione. Proinde cùm nullo legitimo fundamento & solido Iure nitatur prætensio Ducum Curlandiæ ad usurpandam in Districtum Regis & Regni Iurisdictionem, quam non priuatis Regum Rescriptis (utpote illicitis mediis spheram potestatis excedentibus, quando auctoritas totius Reipub: salvo libertatis Statu non infringi à Regibus in Polonia, sed nec immutari possit, cùm auctoritatem cum Ordinibus Regni patiatur) non vi Legum publicarum, quas intercedente consensu omnium Ordinum quærere par fuisset, multumq; talibus Ducum tentamentis de Iuribus Imperij Sarmatici non sinè grandi igno-

di ignominia Reipub: detrahatur, consultum esset: ut Ordines Regni ejusmodi differentias per Commissarios opib⁹ & auctoritate insignes, ac, quod unicum hìc spectari deberet, fidei integritate & amore in Patriam claros: dein LEGE PVBLICA terminarent. quia ejusmodi causæ indecisæ, in firmiori indies Rep: usurpatoribus ad prætextum juris, & ad truncandum Reip: corpus insidiantibus præbent occasionem.

Id proinde Jus Reipub: ad Episcopatum Curonienſem ad præsens Piltenſem Districtum dictum, in quo statu Causæ ab Illustrissimis Cõmissariis pro ultimaria decisione ad Iudicia Relationum S. R. Majestatis remissum ac constitutum sit: ut clarioribus innotescat Documentis, apprimè necessarium esse duxi inserere hìc Actum Commissionis vigore Constitutionis Regni & instructionis Regiæ Majestatis, Piltinæ Milleſimo Sexcenteſsimo Octuagesimo sexto celebratum & gloriosè ex utilitate publica peractum. cujus hic Tenor est.

ACtum in Piltin in Generali Commissione à Sacra Regia Majestate & universis Reipublicæ Poloniæ Magni; Ducatus Lithuaniæ Ordini-

Ordinibus per Publicam Comitiorum Regni Generalium Varsaviensium, proximè præteritorum Legem & Constitutionem, sancita, Feria sexta post Festum Circumcisionis Christi Domini proxima, Quarta Ianuarii, Anno Millesimo Sexcentesimo Octuagesimo Sexto, Coram Illustrissimis Dominis: Ioanne Kos Castellano Liuoniæ, Capitaneo Ostrolecensi, Andrea Giełgud Notario M. D. Lithvaniæ Capitaneo Szadouiensi, Michaële Lasocki Succamerario Vissogrodiensi, Capitaneo Lubochensi, Olbrachto Adriano in Brzeźiny & Brochovv Lasocki Capitaneo Terræ Vissogrodiensis, ad præsens verò Castellano Inovlodislaviensi, Ioanne Andrea Plater Capitaneo Livoniæ, & Dineburgensi, à Sereniss̃imo, & Potentissimo Principe IOANNE III. Dei Gratia Rege Poloniæ, Magno Duce Lithvaniæ, Russiæ, Prussiæ, Masoviæ, Samogitiæ, Liuoniæ, Smolensciæ, Kiioviæ, Volchyniæ, Podlachyæ, Seueriæ, Czernichoviæq;, & Vniversa Republica Poloniæ Magniq, Ducatus Lithuaniæ, Authoritate Generalis Varsavienſis Conventus proximè præteriti Piltinam in Episcopatu Piltinensi, seu Curonienſi sitam, per Legem Publicam Ablegatis Commissariis. In præsentia Magnificorum Generosorum Nobilium & Reverendorum, Christophori Henrici Puttkamer Baronis Supremi Præfecti & Consiliarii Ducatus Curlandiæ, Friderici Brakel, Cancellarii, Nicolai Chvvalkovvski, Ordinarij in Curia Regiæ Majestatis Residentis, Honufrij Gosler Illustrissimi & Celsissimi Principis ac Domini Domini in Liuonia Curlandiæ & Semigalliæ Ducis Consiliariorum, Nicolai Blumberk Supremi Piltinensis Capitanei Szoge Capitanei Grobinensis, Christophori Henrici Fingh, Euaristi Lasocki Castellanidæ Zakrocimensis in Exercitu Regni Hastati Commilitionis, Adami Franciſci Lasocki Capitaneidæ Vissogrodiensis IoanBrumierski,Staniſlai Svvietochovvski,Adami Debovvski, Andreæ Zdunovvski, Christophori Debovvski, Iacobi Franciſci Krzyżanski Theologi & Presbiteri, Feliciani Pukien Clerici, aliorumq; plurimorum Nobilium pro præsenti Commissoriali actu Congregatorum & Prouidi Georgij Vrniasz Ministerialis Regni Generalis Authentici & Iurati.

IN Termino ex vi Legis Publicæ, & determinatione Comitiorum Regni Varſavienſium proximè præteritorum, & ex literis Innoteſcẽtiarum, tempeſtivè editarum, & ad indubitatam notitiam Illuſtriſsimi & Celſiſsimi Ducis Curlandiæ, ac omnium Nobilium, deductarum, & Actis Caſtrenſibus Dineburgenſibus die duodecima Menſis Septembris Anno proximè præterito connotatarum in diem hodiernum incidenti & legitimè prouenienti. Illuſtriſsimi Domini Commiſſarij, per Miniſterialem Regni Generalem Providum Georgium Vrniaſz Authenticum & Iuratum Commiſsioni adſtantem actu Commiſsoriali ſolenniter ad ſonum Tubæ Publicato, & Proclamato jurisdictionem Commiſſorialem Officio ſuo competentem, juxta juris Publici præſcriptum, fundaverunt Et eodem inſtanti ad Connotationem Actorum Commiſſorialium de medio Commiſsionis Magnificum Dominum Olbrachtum Adrianum Laſocki, Capitaneum Terræ Viſſogrodienſis, elegerunt, & deputaverunt. ac juxta Statutum Magni Ducatûs Lithvaniæ. & recentem Ordi-

nati-

nationem Livoniæ, in Anno Milleſimo Sexcéteſimo Septuageſimo Septimo in legibus expreſſam, per ſupraſcriptum Miniſterialem, itidem ad ſonum tubæ prima vice Actum Commiſſorialem, & fundatam jurisdictionem proclamari demandârunt, prout effectualiter Officio ſuo, is idem Miniſterialis ſe ſatis feciſſe retulit & recognovit. Tenor literarum Innoteſcentialium ſequitur, & eſt talis.

Nos Alexander Korowicz, Epiſcopus Vilnenſis, Michàél in Radzieiowice Radzieiowski Epiſcopus Varmienſis Procancellarius Regni, Petrus Pac, Capitaneus Samogitiæ, Adalbertus Breza Caſtellanus Poſnanienſis, Ioannes Kos Caſtellanus Liuoniæ, Felix Pac, Succamerarius, Euſtachius Kotowicz Referendarius, Andreas Caſimir⁹ Giel'gud, Caſimir⁹ Pac Eques Melitenſis Notarij Magni Ducatûs Lithvaniæ. Stanislaus Szczuka Regens Cancellariæ Regni, Michàél Laſocki Succamerarius, Albrachtus in Brzeźiny & Brochow Laſocki Capitaneus Viſſogrodienſis, Andreas Plater Liuoniæ & Dinemburgenſis Capitaneus, Alexander Ioannes Moſiewicz

siewicz Marschalcus Lidensis, Vladislaus Sokołowski Succamerar.ᵖ Liuoniæ, Casimirᵖ Dzierzbinski Subjudex Wschouensis, Casimirus Dąbrowski Subdapifer Vilnensis, à Sacra Regia Majestate & tota Republica in Comitijs proximè præteritis, ad cognitionem Iurium Episcopatûs Curonienſis, aliàs Piltensis in Ordine ad eximendum eundem Deputati Commissarij. Vobis omnibus & singulis, præcipuè Illustrissimo Casimiro Friderico Duci Curlandiæ, & Semigalliæ, Generosæ & Nobili Annæ Sybillæ Maydellowa Viduæ, protunc Piltinensi Tenutrici, cæteriscꝫ omnium Bonorum Episcopatus Prædicti qualicunꝯ Iure & præsertim Hypotecario Possessoribus, ac aliis quibuscunꝯ Ius, & Interesse aliquod ad eadem Bona habentibus, vel habere sese, prætendentibus, quorum & omnium & singulorum Nomina & cognomina, cum titulis competentibus, hìc pro expressis haberi volumus. Innotescimus ac præsentibus Literis significamus, atcꝫ ad indubitatã Notitiam cujuscunꝯ deferimus. Quia Nos à Sacrâ Regiâ Meiestate cum toto Conventu Regni

gni ac M. D. Lithvaniæ, per Constitutionem Regni assignati: quatenus pro die quarta Ianuarij noui Calendarii, Anni proximè futuri, absentia nonnullorum minimè obstante, ad Oppidum Piltin descendentes, ibidem in Iura, ac Privilegia, tam Illustrissimi Ducis Curlandiæ, quàm Nobilium, Bona prænominati Episcopatûs tenentium introspiciamus, de illisq; Nos perfectissimè informemus, Exemptibilitatem illorum, cognoscamus, differentias, difficultates omnes, si quæ occurrerint, cõplanem⁹ vel ad minimũ facilitemus; iisq; omnibus peractis, pro finali decisione, determinatione atq; ultimaria executione, causam cum suo effectu ad Sacram Regiam Majestatem differamus. Vobis omnibus & singulis Bonorum Piltensis, aliàs Curoniensis Episcopatûs Possessoribus, ac Tenutariis auctoritate Nostra Commissoriali per Sacram Regiam Majestatem, & legem Novellæ Constitutionis Nobis concessa mandamus. Quatenus coram Nobis, & Judicio Nostro, Commissoriali, Piltini die quarta Ianuarij Anni Millesimi Sexcentesimi Octuagesimi sexti,

perso-

personaliter legitimè ac peremptoriè compareatis. Iura & Privilegia ad Bona Episcopatûs Piltinensis in Possessione vestra existentia, producatis, quid, & quantum, & à quo tempore quisq quod exemptioni subjacet, aut alio quovis Iure possidet: demonstretis & plenissimè Nos de omnibus informetis; Cæteraq; pro Causæ exigentia, dici, inferri, & sententiari audiatis, certificantes eosdem, quòd sive in dicto Termino comparuerint, sive non; Nos nihilominus juxta contenta Constitutionis procedemus, negotium nobis commissum expediemus, atq; contumacia Vestra non obstante id quod Iuris erit statuemus, & decernemus. In quorum fidem præsentes Innotescentiales manibus Nostris subscripsimus Sigilloque quilibet proprio muniri mandavimus. Datum in Residentiis Nostris die tertia Augusti Anno Domini Millesimo Sexcētesimo Octuagesimo quinto Alexander Kotowicz Episcopus Vilnensis mpp. Michàél Rádzieiowski Episcopus Varmiensis Procancellarius Regni mpp. Albertus Constantinus Breza Castellanus Posnanienſis

mpp.

mpp. Ioannes Kos Caſtellanus Liuoniæ Capitaneus Oſtroſecenſis mpp. Euſtachius Kotowicz Referendarius M. D. Lithvaniæ Scholaſticus Prælatus Vilnenſis mpp. Felix Ian Pac Podkomorzy W. X. L. mpp. Caſimirus Michàél Pac Eques Milltenſis Commendator Poſnanienſis Supremus M. D. Lithvaniæ Notarius, Sacræ Regiæ Majeſtatis & Reipublicæ Commiſſarius mpp. Michàél Laſocki Succamerarius Viſſogrodienſis Sacræ Regiæ Majeſtatis & Reipublicæ Commiſſarius mpp. Olbrachtus Adrianus Laſocki Sacræ Regiæ Majeſtatis & Reipublicæ Commiſſarius mpp. Stanislaus Szczuka Regens Regni, Cancellariæ Commiſſarius mpp. Omnium, qui præſentes Innoteſcentiales literas ſubſcripſerunt, Sigilla particularia ſunt impreſſa.

Die Sabbatiuo Quinta Ianuarij Illuſtriſsimi Domini Commiſsarij, in loco ad Actum deſignato, Commiſſorialiter ſedentes iterum iuxta Statutam Lithvaniæ & Livoniæ noviſsimã Ordinationem per Miniſterialem Regni Generalem prædictum, ad ſonum Tubæ fundità

Iurisdictionem Commissorialem, publicari & proclamari mandaverunt: qui Ministerialis juxta mandatum ad notitiam omnium proclamationem Voce præconica deduxisse recognovit. Plenipotentiario autem illustrissimi & Reverendissimi Domini NICOLAI POPŁAWSKI Episcopi Livoniæ, ac Piltinensis siue Curonienſis, Reverendo Feliciano Pukien, personaliter in Actu Commissoriali cõparenti & Plenipotentiam in Actis Consistorii Varsauiensis recognitam, producenti, tunc primùm post Tertiam singulis diebus jurisdictionis Commissorialis proclamationem die Septima Ianuarij inferre privilegia, jura & documenta super Episcopatu Piltinensi Authoritate Commissoriali injunxerunt, & denuntiationem Vniversalem fundatæ jurisdictionis, per speciale Rescriptum omnibus notificari fecerunt: Cujus Rescripti tenor sequitur, estq; talis.

Nos Commissarii Sacræ Regiæ Majestatis, & Vniversæ Reipublicæ Polonæ, Magniq; Ducatûs Lithuaniæ per publicam legem Comitiorum Varsavienſium proximè præteritorum

Depu-

Deputati. Notum facimus Incolis Districtûs Piltinensis generaliter Vniversis cujusvis sexûs præeminentiæ, & conditionis. Quia die hesterna juxta tempus in Constitutione Regni descriptum in Civitate Piltin, Commissorialem jurisdictionem fundauimus, & eandem ad sonum tubæ per Ministerialem Regni Generalem publicari, & proclamari fecimus, ac ad connotationem Actorum Commissionis de medio Nostri Magnificum Capitaneum Vissogrodiensem elegimus, & deputauimus, ulteriusq; juxta contenta Constitutionis, progredi decreuimus. Quapropter præsentibus ad Notitiam deducimus. Vt omnes Personæ Interresse ad præsentem Commissionem habentes peremptoriè coram Nobis Commissariis compareant, & jura sua generaliter, *tam ad districtum Piltinensem, quàm Particulariter* ad Bona Particularia producant: & ignorantiæ in præmissis occasionē non habeant. In quorum fidem præsentes Magnifico Actus Notario subscribere commisimus. Datum in Piltin die Sabbativo post Festum Circumcisionis Christi Domini proximo Año ejus-

dem. Milleſimo Sexcenteſimo Octuageſimo Sexto. Sigillum Magnifici Capitanei Viſſogrodienſis impreſſum. Olbrachtus Adrianus Laſocki Capitaneus Terræ Viſsogrodienſis Sacræ Regiæ Majeſtatis & Reipublicæ Commiſſarius, & Electus Commiſsionis Notarius mpp. Quod Reſcriptum ſupraſcriptus Miniſterialis Regni Generalis ad Valuas Caſtri Piltinenſis, & diverſoriorum Illuſtriſsimi & Celſiſsimi Ducis Curlandiæ Miniſtrorum ac Conſiliariorum, tum Nobilium multorum, pro Actu Commiſsionis congregatorũ, applicavit, & ad indubitatã Notitiam per proclamationem, altâ, & ſonorâ voce præconicâ. Inſtrumentum ſupraſcriptum ded uxiſſe & notificâſſe recognovit.

In Craſtino Feſto Sanctorum Trium Regum die ſeptima Menſis Ianuarij Illuſtres & Magnifici Domini Caſimirus Michàél Pac Notarius Magni Ducatûs Lithvaniæ Eques Militenſis, ac Vladislaus Sokołowſki Succamerarius Liuoniæ Seueyſcenſis & Viſavienſis Capitaneus, Sacræ Regiæ Majeſtatis & Reipub: itidem Commiſſarii perſonaliter in Actu Commiſſorialicõ-

paren-

parentes, numerum Commissariorum auctiorem fecerunt. & post tertiam Ministerialis Regni ad sonum tubæ fundatæ jurisdictionis proclamationem, ex mandato Commissionis præstitam, prout Ministerialis eandem publicationem se feciſſe recognovit.

Illustrissimus & Reverendissimus Dominus NICOLAVS POPŁAWSKI Episcopus Livoniæ, Piltinensis seu Curonienſis, personaliter coram Illustrissimis Commissariis comparens, produxit literas pargameneas, duplici Sigillo consignatas, manibus Notariorum Apostolicorum subscriptas salvas & illæsas, atq; omni suspicione carentes, Bullas Sanctæ Sedis Apostolicæ Sanctissimi Innocentii XI. continentes: ex quarum Tenore, se ad duplicem Episcopatum, Liuonienſem, atq; Piltinenſem, seu Curonienſem ex Nominatione Sereniſsimi Poloniarum Regis per Sanctam Sedem Apostolicã, cum jurisdictione supra omnes Ecclesias Catholicorum Romanas, in Liuonia, atq; Curlãdia. tum & Semigallia consistentes, provisum atq; confirmatum esse probavit; ac vigore Nomina-

minationis Sereniſsimi Regis & confirmationis à Sancta Sede Apoſtolicâ obtentæ, ſibi utì Epiſcopo Piltinenſi, petiit Epiſcopatum Piltinenſem, qui nunc Territorium ſeu diſtrictus Piltinenſis appellatur, adjudicari, ac in Poſſeſſionem realem plenariam, & pacificam, cum omni Iure) Dominio, proprietate, jurisdictione, Caſtra, Oppida, & Bona Epiſcopalia, omnia authoritate præſentis Commiſsionis Sacræ Regiæ Majeſtatis totiusq; Reipub: tradi, & realiter attribui, lamq; ampliùs non Diſtrictum, ſed Epiſcopatum Piltinenſem, quo titulo ſemper gaudebat, eumq; in variis Hiſtoriis, tranſactionibus, ſemper obtinuit, maximè, cùm jam Epiſcopum proprium, verum, & legitimum habeat, Auctoritate Suprema Commiſſoriali nominari, intitulari, atq; appellari.

Ad ulteriorem probationem jurium ad præfatum Epiſcopatum habitorum produxit, ex Actis Metrices Regni tranſumptum Status Epiſcopatus Piltinenſis, ab Illuſtriſsimo & Reverendiſsimo, olim Ottone Schenking Epiſcopo Vendenſi fideliter conſcripti, & ſucceſsiuè

Actis

Actis Majoris Cancellariæ Regni inserti de Anno Millesimo Sexcentesimo Quadragesimo Quarto, sub actu Sabbati magni, sub Rege Poloniæ Vladislao: ex quo instrumento deduxit, qualiter, circa Annum, Millesimum Quingentesimum Quinquagesimum nonum, Antecessor suus, Episcopus Piltinensis, alàs Curonienſis, vel Curlandiæ Ioannes à Moninkhausen contracta Hæresi, & Vxore ducta Episcopatū in summa Pecuniaria, Triginta Millium Talerorum Imperialium, Daniæ Regi oppignoravit. Cujus postea possessionem Rex ad Fratrem, & Magnum Olsatiæ Ducem transtulit, Qui Magnus postmodum, cùm Liuoniam totam, Bello Moschovitico oppressam, Magister Ordinis Theutonici Gotardus, Sigismundo Augusto Regi Regnoq; Poloniæ, ac Magno Ducatui Lithvaniæ subjiceret. Propterea-que Ducatum Curlandiæ Iure Fœudi(non includendo tamen Episcopatum) obtinuisset, ipse quoq; sese, Episcopatumq; suum Regi Poloniæ subjecit. Mortuo Magno Episcopatûs Piltinensis Possessore, è vestigio Daniæ Rex Episcopatum,

tum, vi Hypothecæ ad se spectantem repetere contendit. Rex autem Poloniæ, Stephanus, Dominio suo subiectum, & ad Rempub: vi subjectionis pertinentem, vindicare statuit, idq; strepitu armorum: ad quæ auertenda, interveniente Marchione Brandeburgico atq; summam Triginta Millium Talerorum Regi Daniæ, pro Stephano Rege numerante, Episcopatus Piltinensis, à Rege Daniæ ad Stephanum Regem Poloniæ delatus est: tantisper tamen in manibus Marchionis Brandeburgici, ob numeratam pecuniam modo Hypothecario remãsit, & successiuè ad manus Generosorum Maydelliorum transijt, atq; hucusq; in manibus illorum manet, præter varios Nobiles Bona reliqua possidentes, cum addita semper clausula, juribus Regalibus, Episcopalibus, & Capituli, per omnia salvis manentibus.

His succinctè ex authentico Documento, idem Illustrissimus, & Reverendissimus Episcopus, prolatis subjunxit peritionem priorem: Quatenus hic Episcopatus utì iniq; ab Antecessore suo ab Ecclesia Catholica Romana avul-

sus

sus sibi uti Episcopo legitimo, restituendus declararetur, cum declaratione, quòd juxta Ius cujuscunq; Possessoris, habebit omnium rationem, respectum ac justitiam servabit, cum ratihabitione Sacræ Sedis Apostolicæ, eiusq; nuntii in Regno Poloniæ commorantis.

Insuper produxit Tractatum, seu Pacta, inter Sereniſsimos Stephanum Poloniæ, Fridericum Daniæ Reges, inita Anno Milleſimo Quingenteſimo, Octuageſimo Tertio die vigeſima octaua Februarii. In qua tranſactione, conditiones seu clauſulæ hæ reperiuntur: Prima Subditorum iſtius Epiſcopatûs Piltinenſis, seu Curonienſis jura, libertates; ac Privilegia legitimè obtenta, atq; uſurpata à Sereniſsimo Poloniæ Rege, Authoritate, & conſenſu Senatorum accedentes confirmantur: Et ſi ſucceſſu temporis iſta Diœceſis quocunq; jure ad aliquos pervenerit, integra conſervari debent. Secunda. Incolis iſtius Epiſcopatûs, tam Nobilibus, quàm Oppidanis, liberum Auguſtanæ Religionis Exercitium permittitur: pari cum ſubditis Ducat⁹ Curlandiæ libertate. Tertia. Si quis,

vel emptionis, vel Hypothecæ, aut pignoris Titulo possideat sinè legitima iuris cognitione ex Possessione deturbari non debet, sed in eatantisper conservabitur, donec de jure legitimo fiat cognitio. Quarta. Ejus Episcopatûs Nobiles, & subditi, si quo iuramento Regi Daniæ obstricti erant, absoluti sunt. Et Serenissimæ Regi Poloniæ novo iurejurãdo obstringi debent. Qui & Regiæ Maiestatis Successoribus, uti naturalibus Dominis, nec non Poloniæ Regno omnem fidem, obedientiam, & subiectionem præstare tenentur, Quinta. Contributionib⁹, exactionibus, vectigalibus, inusitatis extra ordinariis & à reliquis Ordinibus Poloniæ Regni, non laudatis, eius Episcopatûs subditi minimẽ aggravari debent. Sed eadem, quæ cæterorum Regni Poloniæ Incolarum debet haberi ratio. Ità tamen ut ab omnibus huiusmodi exactionibus, seu contributionibus, per quinquennium liberi esse debeant, tempore autem exacto communi cum reliquis Regni subditis Sorte censebuntur. Sexta. Serenissimus Rex Daniæ vigore istius transactionis recepta

sum-

Summa Triginta Millium Talerorum Imperialium ab Illustrissimo Georgio Friderico Marchione Brandeburgensi, in Prussia Duce, Sereniſsimo Poloniæ Regi totiqúe Reipub: Episcopatum Piltinensem realiter tradidit, & de Iure suo cessit.

Ex harum Conditionum productione manifestè deduxit Episcopatus Diœcesis denominationem. ac titulum. Insuper exinde allegavit. quomodo Episcopatus Piltinensis subsit Regiæ Majestatis totiusq; Reipub: Ordinationi, Dispositioni, & jus vindicandi huiusmogi Episcopatum illi competere, cui Rex atque Respublica illud contulerit. Cùm itaque sibi & per collationem præfati Episcopatûs, & per Cõstitutionem Regni hoc Ius attributum sit, institit idem Illustrissimus & Reverendissimus hoc nunc adiudicandum censeri, per actum præsentis Commissionis.

Præterea idem Illustissimus, & Reverendissimus Consensum Sereniſsimi olim Sigismundi Tertij Poloniæ Regis Illustrissimo Balthasaro Bathoreo, super redimendo isto Episcopatu.

Anno Milleſimo Quingenteſimo Octuageſimo Octavo die tertia Menſis Iunii produxit Tenoris ſequentis. Cùm Bona Epiſcopatûs Curonienſis, quæ antea ab Illuſtriſsimo olim Principe, Magno Holſatiæ Duce Poſſeſſa eſſent, nunc ab Illuſtriſsimo Principe, Domino Georgio (Friderico) in Pruſsia Duce, in certa pecuniæ ſumma à Sereniſsimo Daniæ Rege, quj Fratre Magno mortuo, controverſiam de his moverat, redempta poſsideantur, ut eadem pecuniæ ſumma. Illuſtriſsimus Balthaſar Bathori commemorata Bona redimat, eademq; ad extrema vitæ ſuæ tempora poſsideat. Iuribus tamen Noſtris Regalibus & Reipub: ſalvis in his manentibus.

Item & alium Conſenſum ejuſdem Regis, Illuſtriſsimo Duci Curlandiæ ſuper eximendo ſimiliter eodē Epiſcopatu datū Milleſimo Quingenteſimo Sexageſimo Primo die decima octaua Iulij reproduxit, cum expreſſè appoſitâ clauſulâ, ſalvis juribus Noſtris Reip: & Eccleſiarum Catholicarum ibidem manentibus.

Ex præſentatione prædictorum Conſenſuum intu-

intulit, quòd dispositio; de Episcopatu Piltinensi integerrimè semper ad Reges Poloniæ, & Rempublicam pertinebat. Deinde quòd qualescunq; mutationes possessionis illius Hypothecariæ interveniebãt, vel intervenire debebant, semper addebantur clausulæ; Salvis juribus Reipublicæ Episcopatûs & Ecclesiarum Catholicarum.

Exhibuit insuper Constitutionem Regni de Anno Millesimo Sexcentesimo nono. per quam Illustrissimo Duci Curlandiæ Guilhelmo facultas conceditur eximendi Episcopatum hunc, ab Illustrissima Vidua, Sophia Anspachiana, cum hac tamẽ expressâ clausulâ, ut exemptum, non alio possiderer jure, quàm Hypothecario. Tenor constitutionis prædictæ hic est. Sub titulo. Xiążęta Ichmość Kurlandzkie.

Zá wielkie y przeważne, przećiwko nam, y tey Rzeczypospolitey posługi, ktore Xiążęta Ichmość Kurlándzkie, przez te wszytkie Inflandzkie expedicye, z wielką odwagą Osob swych, á szkodą Xięstwá, y dostátkow własnych czynili: pozwalamy Piltyński Powiat z tey kwoty ieść summy u Xiężney Jeymości Anszpáchowey wykupić, y zátákimże Práwem trzymáć, zá iákim od pomienioney Xiężney Jeymości dotąd był trzymany.

Produxit præterea Ordinationem Reipubli-

cæ

cæ, ratione Diſtrictus Piltinenſis in Comitiis Regni Anno Milleſimo Saxcenteſimo Vndecimo factam. His formalibus. Sub Titulo Powiat Piltyńſki. Szlachtę Powiatu Piltyńſkiego przy dáwnych wolnośćiách ich; á z ſtroney czynienia ſpráwiedliwośći miedzy niemi ſamemi, przy dawnych zwyczáiach, iáko do tąd byli, zoſtáwuiemy: W czym Xiążętá Ichmość Kurlándſcy, ktoby ná wykupienie Stároſtw, w Powiecie Piltyńſkim wolność máia, nie derogować y w od Práwowániu Sądow ná mieyſcach zwykłych żadnego impedymentu czynić nie máią. Wtákże Appellácye, od Sądow ich, do nás y Sądu náſzego, á nie gdźie indźiey, iść máią, tak iáko ſpráwy Sądowe Inflantſkie.

Præſentavit inſuper Reſponſum Regis Vladislai, Illuſtriſsimo Friderico, Curlandiæ Duci datum Vilnæ die vigeſima ſecunda Iulij Anno Milleſimo Sexcenteſimo Trigeſimo Tertio. His formalibus: De Diſtrictu Piltinenſi nihil in præſentia à Sacrâ Regiâ Máieſtate decerni poteſt, nec jure Fœudi, Illuſtriſsimo Duci, ſinè Ordinum Regni conſenſu tradi &c. Simile Reſponſum demonſtrauit, ejusdem Regis Vladiſlai. ſub actu Varſaviæ Anno Milleſimo Sexcenteſimo Ttigeſimo ſeptimo. Ablegatis Illuſtriſsimi Ducis datum his verbis: De negotio adjungendi Diſtrictûs Piltinenſis

Cur-

Curlandiæ Ducatui, cùm sit res de qua priuata authoritate, Sacra Regia Majestas statuere non possit, Futuris id Comitiis, tractandum reliquit. Vltra hæc demonstrauit, Constitutiones duas: Primam in Comitiis in Anno Millesimo sexcentesimo, oprimo. Secundam: in Anno Millesimo sexcentesimo sexagesimo 7. In quibus dum Commissiones instituebantur, in ter Illustrissimum Ducem Curlandiæ, & Nobilitatem Piltinensem, expressè additum reperitur. A żeby to nie prejudykowáło Iuribus Ecclesiæ Catholicæ Romanæ. Ciż Comissarze naśi|o Biskupstwo Piltyńskie in Ordine ad eximendum weyzrzą. Toż właśnie iest y w drugiey. /w Prawa

Ex his omnibus, pluribus aliis reservatis luce meridiana clariùs probavit. Primò. Quòd dispositio de Episcopatu Piltinensi integerrimè ad Reges Poloniæ, & Rempublicam pertinebat. Secundò. Quomodo iam à pluribus Annis Reges Poloniæ & Respublica vindicationē istius Episcopopatûs, atq; è manibus dissidentium libertationem intendebat, sed artibus dissiden-

sidentium, Commissiones præfatæ semper disturbabantur. Tertiò. Quòd nullum jus ratione Fœudi Illustrissimis Ducibus ad Episcopatum Piltinensem competat. Denique, quòd qualescunq; mutationes Possessionis Hypothecariæ, circa præfatum Episcopatum interveniebant, vel intervenire debebant addebantur clausulæ Iuribus Reipub: salvis Episcopatûs, & Ecclesiarum Catholicarum.

Demum produxit protestationem, Nomine Illustrissimi & Reverendissimi olim Georgii Tiszkiewicz Episcopi Samogitiæ uti vicinioris Piltinensi Sede vacante, Administratoris ipsius per Reverendissimum Paulum Puzyna in Actis Metrices Regni sub actu Sabbati Magni Millesimo Sexcentesimo Quadragesimo Quarto ratione Bonorum Piltinensium factam Quæ Protestatio continet, illud quod supra illatum: Quòd quotiescunq; retroactis temporibus, Episcopatus Piltinensis, sive Curonienſis, in Possessionem Sæcularium de consensu Serenissimorum Regum Titulo Hypothecæ perveniebat. semper literæ Consensus super redimendo

do hujusmodi Episcopatu, à Sereniſsimis Regibus conceſſæ hanc expreſſam continebant clauſulam, videlicet Salvis juribus Noſtris Regalibus, Reipublicæ, & Eccleſiarum Catholicarum ibidem manentibus. Ex cujus Inſtrumẽti productione, duo ſpecialiter intulit Illuſtriſſimus & Reverendiſsimus Epiſcopus. Primum Eccleſiæ Catholicæ Romanæ, in Piltinenſi Territorio immunitates ſemper præcuſtoditas. Alterum. Quòd Illuſtriſsimus Samogitiæ Epiſcopus Vacante Sede Piltinenſi, habuerit ſe ad Epiſcopatum Piltinenſem, tanquam Adminiſtrator, ex Ratione Vicinitatis. Hinc eſt, quòd & intranſactione poſteriori Sereniſsimi Regis cum Illuſtriſſimo Duce Curlandiæ, ubi ſubmiſit ſe Illuſtriſsimus Dux erigere in Curlandia, duas Parochiales Eccleſias, Nitaviæ & Guldingæ, ad eaſq; Parochos præſentare, Illuſtriſsimo Epiſcopo Samogitiæ, additur, tanquam vicinio-ri: Non aliter namq; tunc fieri potuit. Vacante Sede, niſi ut Illuſtriſsimus Epiſcopus Samogitiæ Eccleſiarum in Curlandia Catholicarum, curam & Regimen haberet, de jure

communi tanquam vicinior. Nunc autem quando ad nominationem Sacræ Regiæ Majestatis Sedes Apostolica præfecit, & post liminio reduxit, Verùm legitimum Curoniæ Episcopum: Administratio Vicinioris cessare debet, & ad Episcopum, jus omne Regiminis deuolui. Prout ipsemet Illustrissimus Modernus Episcopus Samogitiæ, (utì literæ illius manifestè docent) renunciavit.

Denicq; ad probandum, quòd justè Episcopatum Piltinensem cum omnibus attinentiis, adjudicari sibi postulet, exhibuit authentica aliquot documenta, retroactorum temporum, quibus ostendit. Quòd quotiescunq; Episcopatus Piltinensis, ab uno, ad alium, transferebatur, expressa mentio omnium attinentiarum fiebat. Quod patet ex Decreto Commissoriali Regio in Anno Millesimo Quingentesimo Nonagesimo Septimo, ultima Ianuarij in suburbio Arcis Piltinensis prolato, quò tunc dabatur potestas redimendi Episcopatum Illustrissimo Friderico Duci Curlandiæ ab Illustrissimo Georgio

gio Marchione Brandeburgico: ubi hæc expressè habentur. Arcem ipsam Piltinensem, & Universa Bona Episcopatus olim Curoniæ nunc verò Territorii ejus Vasallos, & subditos accepta pecunia Triginta millium Talerorum Illustrissimo Friderico Duci Curlandiæ tradat. Idē deduxit ex producto Instrumento juris advitalitii, dato in Personas Illustrissimi Marchionis Brandeburgici, ejusq; Conjugis Sophiæ Anspachianæ, per Sigismundum Tertium, Poloniæ Regem. de Anno Millesimo Quingentesimo Nonagesimo Octavo. Decima Tertia Mensis Aprilis, in Pacifica eius districtus Possessione utrumq; Conjugem, cum plena in memorato Tractu jurisdictione, cum omnibus fructibus, reditibus, vilitatibus ac juribus conservamus.

Insuper produxit Authenticum Decretum Commissariorum Sacræ Regiæ Majestatis in Anno Millesimo Sexcentesimo Decimo septimo Octava Aprilis latum, in quo, tradendo, Piltinensis Tractus Bona Sophiæ Viduæ Anspachianæ, eaq; de Possessione Illustrissimi Ducis

Curlandiæ, repetendo: cum his formalibus. Illustrissimæ Actrici Districtum Piltinensem unà cum omnibus pertinentiis fructibus proventibus omnibus ad Districtum eundem spectantibus adjudicauimus, & adjudicamus.

His coram Illustrissimis Commissariis productis, idem Illustrissimus & Reverendissimus Episcopus, prænominatum Episcopatum Piltinensem sibi à Sacra Regia Majestate per Nominationem, & præsentationem Sacræ Sedi Apostolicæ collatum, cum omnibus ejus attinentijs, prærogativis, immunitatibus, sibi adjudicari: Sacræ Regiæ Majestatis Regnique Poloniæ, & Magni Ducatus Lithvaniæ directo, & immediato Dominio subjectum, & vindicabilem declarari: illum à Possessoribus impertinentibus deoccupari: in reliquorum jura penitiùs introspici. vel si illa præsentare & exhibere neglexerint, pro convictis & in causa succumbentibus declarari. Sicque omnia trutinata, perpensa, decisa, pro approbatione & confirmatione ad Sacram Regiam Majestatem, cum præfixione Termini. per Actum præsentis Commissionis remitti.

Post

Post exceptas ex parte Illustrissimi & Reverendissimi Episcopi Livoniæ. & Piltinensis, sive Curonienſis probationes, & juris deductiones; Visum est, Illustrissimis Commissariis, Alterius quoq; Partis, ac imprimis Illustrissimi, & Celsissimi Ducis Curlandiæ, rationes; iuraq; prætensa introspicere: Quæ cùm sint Typis impressa, & per Generosum Nicolaũ Chwałkowski Residentem suæ Celsitudinis in Aula Regni Ordinarium Illustri & Magnifico Domino Andreæ Giełgud, Notario M. D. Lithvaniæ pro tunc in Comitiis Regni Generalibus proximè præteritis Equestris Ordinis Marschalco exhibita & per constitutionem Regni publicam, disquisitioni modernæ Commissionis demandata, ea omnia punctatim Illustrissimi Commissarii trutinaverunt, & discusserunt.

Quandoquidem autem Illustrissimus Dux, ratione primævæ subjectionis Divo Sigismundo Augusto factæ, ius quoddam sibi ad Episcopatum Piltinensem prætendere videtur. Ideo ante omnia ad lectionem Pactorum subjectionis, Illustrissimi olim Ducis Gothardi descenderunt. In quibus cùm expressè omnes Arces Dumui Ducali attributæ specificentur, nullam Donationem, aut infæudationem Episcopatus Piltinensis repererunt: neq; à Divo Sigismundo dari & conferri Ducibus Curlandiæ potuerat, id quod suæ potesta-

testatis & Possessionis tum non erat. Requisitum verò per Tractatus Pacis cum Rege Daniæ initos dictum Episcopatum, Divus Stephanus, suo, Regniq; Poloniæ directo, & immediato Dominio attribuit. Iisdē Pactis cum Rege Daniæ expressè disquisitio jurium utriusq; Regum super Piltinam interdicta. Ita ut Rex Poloniæ, novo potiùs, & cessō sibi à Rege Daniæ, lure dictum Episcopatū possideat. Ideóq; Sigismundus Augustus in antecessum dare non potuit. quod postea Stephanus Rex acquisivit. Et si dandum Ducibus Curlandiæ, ex aliqua obligatione fuisset, Rex Stephanus, non Sigismundus Augustus, dedisset. Sed neq; Stephanus Rex, neq; alii successanei Reges dare potuerunt, obstantibus Pactis cum Rege Daniæ initis, quæ aliquo modo violari viderentur, si donatio Sigismundi Augusti valeret, injusti Belli pro Piltina suscepti Rex Daniæ notaretur. Sed Sigismundus Augvstus uti prudentissimus Princeps non dedit Domui Ducali Episcopatum, per mutationem, tantum ejus, pro Sonenburga Arce Curijs, Leal & Madzel, svasurum Magno Duci, & curaturum promiserat, uti effectualiter svasit, & curavit. Sed quia Magnus Dux commutationem dictam non acceptavit non Regis culpa stetit. Nam uti Regi svadere, & curare, ita Magno Duci non acceptare integrum fuit. Vnde patet etiamsi in præsens Episcopatus Piltinensis Duci Curlandiæ tribuendus esset, vicissim Dux Curlandiæ, in commutationem totidem Arces ex Curlandia dare teneretur. Nonminus, considerandum, quòd Dux Gothardus non tantùm Polonis, Lithvanisq; certantibus, pro Piltina suppetias ferre renuit, sed etiam studio per Vindauam suæ ditionis Arcem Danis transitum ad occupandam Piltinam permisit, Regem Daniæ, uti testatur Hedelsteynius, offendere non ausus: Imposterum verò vix hortatu Radziuilij Ducentos pedites, quasi post bellum auxilium misit. Vnde infertur, etiamsi aliquod jus habuisset, illud, dum demeruit, perdidit. Ideoq; Stephanus Rex suo, Regniq; directo & immediato Dominio nulla facta mentione Ducis Curlandiæ, à Rege Daniæ, dictum Episcopatum resignari procurauit. Considerandum quoq; occurrit, quod Ferens Bachius etiam parem, uti Dux Curlandiæ, vindicandi Episcopatus à Dano obtinuerat à Rege Poloniæ consensum. Sed cùm id ad effectum deduci non potuit

uit, neq; Ferens Bachius, neq; ejus ſucceſſores amplius prætenderunt nec prætendunt, dictum Epiſcopatum. Idem quoq; Duces Curlandiæ facere tenentur, neq; amplius ius permutationis, quæ non ſucceſſit allegare poſſunt: maximè Pactis Regum Poloniæ, & Daniæ ſecus diſponentibus.

Allegatur pro Parte Illuſtriſsimi, Ducis Articulus Pactorum ſubjectionis, quòd quidquid in iſtis Terminis Cis Dunam verſùs Lithvaniam continetur, & ad Ordinem Livoniæ ſpectabat, nunc & in perpetuum, apud Illuſtritatem ſuam, & ejus hæredes Maſculos permaneat. Hunc Articulum ſeriò, & maturè conſiderando, limites quidem in Pactis expreſſos ſervandos Illuſtriſsimi Commiſſarii cenſent, ſed poſſeſſores Bonorum intra hos etiam limites ſitos, iuxta eorum jura relinquendos judicârunt. Fatentur Illuſtriſsimi Commiſſarii Epiſcopatum Piltinenſem intra limites Curlandiæ ſitum, non tamẽ inde ſequitur, eum Duci Curlandiæ deberi: ſiquidem de illo aliter Reges Poloniæ, & Pacta ſupradicta diſpoſuerunt. Epiſcopatus Varmienſis, intra limites Pruſsiæ continetur, Sereniſsimus Elector Brandeburgicus illum ſibi non prætendit, Principatus

Oran-

Orangii in Gallia ſitus, attamen abſoluti illius & Supremi Domini Principes Auriaci ex Domo de Naſſau extiterunt. Sed in iiſdem Pactis ſubiectionis, in quibus Termini Ditionis Ducum Curlandiæ ſpecificantur, Piltina juri Fœudali non ſubjicitur, imò excipitur, dum Sigiſmundus Auguſtus, Commutationem Magno Duci Holſatiæ ſvaſurum promittit.

Allegatur pro Parte Illuſtriſsimi Ducis, data Poteſtas à Republica Friderico Duci acquirendi iuris Bathorei. Sed expreſsè per Conſtitutionem Regni cautum, ut non alio lure, niſi Hypothecæ poſsideat. Vnde manifeſtè patet, quòd Ius Fœudale ſuper Epiſcopatum Duces Curlandiæ nullum habere poſſunt, ſiquidē Reſpublica declaravit, & Dux Fridericus hanc declarationem alacri animo acceptavit, ſe non alio lure niſi Hypothecæ poſsidere poſſe: atq; hic etiam conſenſus ſuper eximendam Hypothecam evanuit, quod abundè Decretum Regis Vladiſlai Quarti edocet, dum incompetentem Actorem Ducē Curlandiæ ad exemptionem Epiſcopatus declarat. Itaq; cùm nec lure

Hy-

Hypothecæ ampliùs tenere posſit, quâ ratione jus Fœudi prætendere audet? Ex hac occaſione allegatur, quòd Dux Iacobus ad Ordines Regni ſit remiſſus per idem Decretum ratione ſuæ prætenſionis Fœudalis. Hæc remiſſa ad Ordines non dat, neq; legitimat Ducis prætenſionem. Nam ſinè ullo Decreto licitum cuiq; in Comitijs petere: Sicut viceverſa integrum Ordinibus concedere, vel negare. Paſsim in Comitijs varii petunt ſibi Bona juris Advitalitij, dari in hæreditatem; aliquando obtinent, ſæpiùs autem repulſam patiuntur.

Obtenditur Ducem Iacobum ab Ottone Erneſto Maydellio per Ceſſionem jus Hypothecarium, mediante Conſenſu Ioannis Caſimiri Regis ac inſimul renovatione antiqui Fœudi ſuper totum Diſtrictum impetraviſſe. Verùm poſt latum à Vladiſlao Rege ex ſerijs utrarumq, Partium controverſijs Decretum, quo Dux Curlandiæ incompetens Actor, ad eximendam Hypothecam declaratus; Regis Caſimiri priuatus conſenſus, & renouatio Fœudi ſuper totum Diſtrictum, valere nequit; ſine conſenſu totius Reipublicæ, ad cujus deciſionem Rex Vladislaus per Decretum prætenſionem Ducis Curlandiæ remiſerat. Ideòq; anteriori tempore Duces Curlandiæ ſuper eximendum à Bathoreo jus Hypothecarium non à ſolo Rege, ſed ab univerſa Republica Conſenſum obtinuerunt, qui tamen poſtea ex rationibus in Decreto Vladiſlai Regis expreſſis evanuit.

Quod autem attinet, ad jura Nobilitatis Piltinenſis. Conſtitutiones Regni Anni Milleſimi Sexcenteſimi Vndecimi, & Commiſſiones

siones Anni Millesimi Sexcentesimi Decimi Septimi expeditas. Illustrissimi Commissarij seriò considerauerunt, ijsq; obstantibus, Ducem Curlandiæ, nec potuisse nec posse ullos Tractatus, priuatim cum Nobilitate, pro alienando ab immediato Regis & Reipublicæ, Dominio, Episcopatu Piltinensi inscia Republica tractare, aut formare. Ideoq; Generosus Dominus Ioannes Vlricus Sackien, Iudex Piltinensis, solenniter coram Illustrissimis Commissarijs, per Filium suum & Literas protestatus est, se nunquam, ullis Tractatibus inscià Republicà cum Duce Curlandiæ Consensum præbuisse, nec inpræsens, se eorum Consilijs, quæ cum indignitate Regiæ Majestatis, & Reipublicæ, contra præsentem Commissionem formare audent, adhærere, quàm protestationem, debitæ erga Sacram Regiam Majestatem & Rempublicam fidelitatis Illustrissimi Commissarij acceptarunt.

Allegationem pro Parte Ducis Curlandiæ his formalibus expressam. Sicuti Rex Sigismundus Tertius formam Iurisdictionis immediatè induxit. Sic Successor illius Ioannes Casimirus Rex eandem intuitu Pactorum, & investiturarum, in quibus petitorium Principi, Sacrosanctè reservatur, per Privilegium suum, & Commissarium Iawłoszeuium immutavit, posteriora autem tollunt priora, Futilem & vanam dictam allegationem Illustrisimi Commissarij censuerunt, & censent. Nam quæ Sigismundus consentiente totâ Regublicâ induxit, Joannes Casimirus per Privilegium, nec per Commissarium Jawłoszewski immutare potuit. Idem est non fieri, quàm quod illegitimè fieri. Ideoq; Sacra Regia Majestas Dominus Noster Clementissimus ad præsens feliciter Regnans, memor Pactorum

Conven-

Conventorum, de non alienandis Provincijs nunquam hoc Negotium, quod ad Universam Rempublicam spectat, solâ suâ Regia Potestate decidere voluit; Sed Commissionem præsentem à Republica deputari fecit: Uti viceversa ex debita erga Regiam Majestatem observantia, ordines Reipublicæ universæ decisioni Regiæ Majestatis, idem Negotium subjecerunt: Securi, non nisi in fundamento, ad præsens Piltinæ expeditæ Commissionis, & ab eadem sibi exhibitæ informationis laturum Decretum, Itàq; sine prævio, pari totius Reipublicæ Consensu, & absq; Cõmissione, ex Comitijs ordinata omnia, à Ioanne Casimiro & aliis Regibus obtenta, invalida censentur.

Quandoquidem autem vectigalia, Contributiones, & alia Onera Belli pariter, ac cæteri Incolæ Regni, Piltinenses Nobiles: & subditi, supportare vigore Pactorum, cum Dano initorum tenentur, Curam exigendorum Proventuum iis, ad quos de jure spectat, reliquimus.

Ratione verò juris Hypothecarii, Generosis Maydellon Triginta Millia Talerorum refundenda Illustrissimi censent, inquantum jus sufficiens produxerint, quibus persolutis, nullum jus aduitalitatis, quisquam prætende-

re potest: Siquidem finita Ottonis Maydellii advitalitate, jus Hypothecarium solum in posterum valere Decreto Regis Vladislai decisum. Itaque hoc stante Decreto, si quæ Privilegia, super advitalitatem emanârunt, ad malè narrata obtenta, nullum valorem habitura censentur.

Quantùm attinet Nobiles, & incolas, Districtûs, seu Episcopatûs Piltinensis, Illustrissimi Domini Commissarii, ipsorum Statum, & jura indagantes, Libellum cui Titulus: Refutatio Prætensionis Illustrissimæ Domûs Ducalis Curlandiæ in Districtum Piltinensem, Typis impressum, in Actu præsenti Commissoriali: prælegi censuerunt; ac ibidem perpensis juribus: Quoniam omnia documenta, per Nobilitatem collecta, pro interesse, tam nobilium, quàm Illustrissimi Ducis in eodem libello connotata sunt; Ideò sufficere in Iudicio Sacræ Regiæ Majestatis, eundem producere, & ex eo Status Nobilitatis Piltinensis Constitutionem, ad informationem Sacræ Regiæ Majestatis exhibere, satìs esse, existimârunt, &

ab

ab ulteriori, in præsenti Actu connotatione supersederunt.

Tandem Sereniſsimi, ac Potentiſsimi Principis, ac Domini, Domini IONNIS Tertii Dei Gratiâ Regis Poloniæ, Magni Ducis Lithvaniæ, Ruſsiæ, Pruſsiæ, Maſoviæ, Samogitiæ Livoniæ, Smolenſciæ, Kijoviæ, Podoliæ Volhyniæ, Podlachiæ, Severiæ Czerniechoviæque. Et Omniũ Ordinum Reipub:, Authoritate Generalium Regni Varſauienſium Comitiorum proximè præteritorum perlegem Publicam delegati Commiſſarii. Viſis juribus & ſufficientiſsimis documentis authenticis, tam Sacræ Romanæ Eccleſiæ, quàm Illuſtriſsmo Duci Curlandiæ Nobilitatiq; Diſtrictûs Piltinenſis ſervientibus, & communibus per omnes Circumſtantias penſatis, & trutinatis. Eo attento. Quòd Illuſtriſsimus, & Reverendiſsimus Epiſcopus Livoniæ ac Piltinenſis, aliàs Curonienſis, jus ſuum ad Epiſcopatum Piltinenſem, ſive Curonienſem tam per Nominationem Sacræ Regiæ Majeſtatis, quàm per Confirmationem Sanctæ Sedis Apoſtolicæ Bullis Romanis ſufficientiſsimè deduxit. Ideo

Ideo Illustrissimi Domini Commissarij, eundem Illustrissimum Episcopum Livoniæ pro vero, & legitimo Piltinensi Episcopo seu Curonienſi agnoverunt. Munia Episcopalia per Curlandiam, & Piltinenſem Tractum, in Eccleſijs Catholicis locisq; ad eas ſpectantibus exercendi poteſtatem, Plenariam, eum habere comperere-runt. Bona Piltinenſia, Territorium atq; ditionem Episcopatum deinceps appellanda, Ordinationi, diſpoſitioni Sacræ Regiæ Majeſtatis & Reipublicæ immediatè ſubjecta exemptibilia adinvenientes, cum omni jure, Dominio, attinentijs, & pertinentijs, prout ex antiquo, hic Epiſcopatus habuit, eidem adjudicanda eſſe cenſuerunt. prouentuum, relituum, fundationum tàm Eccleſiæ Cathedrali quàm Capitulo ac Capitulari menſæ ſervientium, vindicandi, eximendi, quæ vindicanda, eximenda, erunt, plenariam facultatem prænominato Epiſcopo & non alteri cuipiam competere: Eaque à Poſſeſſoribus modernis, quales ſunt principaliter, Generoſa Anna Sybilla Maydell, cum ſuis Succeſſoribus, & Celſiſſimus Dux Curlandiæ, poſt enumeratam ſummam Hypothecariam, ſi ad eam jus competens exhibuerint, vindicanda, cenſuerunt, Ac demum inſiſtendo Conſtitutioni Comitiorum proximè præteritorum, Cauſam hanc cum toto effectu pro approbatione & finali deciſione, ad judicia Sacræ Regiæ Majeſtatis remiſerunt, Et tàm Illuſtriſſimo Duci Curlandiæ, quàm Generoſæ Annæ Sybillæ Maydell, atq; Generoſis Ioanni & Theodoro Maydellijs ſucceſſoribus, tùm & quibuſcunq; alijs Bonorum Piltinenſis Epiſcopatus Poſſeſſoribus, Terminum inhærendo Ordinationi Commiſſoriali Anni Milleſimi Sexcenteſimi Decimi Septimi, in Martio ſcilicet die decima quinta hujus menſis proximè inſtantis in Anno præſenti, ubi tunc curia Sereniſſimi degerit, peremptorium amputatis omnibus dilationibus & diffugijs ſine ulla adcitatione conſervârunt & præfixerunt, Actus præſentis Authoritate. Quantum attinet jurisdictionem, qualiter in poſterum ſit Ordinanda, an videlicet juxtæ præſcriptum Commiſſionis Anni 1617. In Haſempoth peractæ, an Illuſtriſſimo Epiſcopo tribuenda. Illuſtriſſimi Commiſſarii conformando ſe Intentioni Sacræ Regiæ Majeſtatis in literis expreſſæ hoc in puncto, deciſionem Supremo Sacræ Regiæ Majeſtatis judicio integerrimè reliquerunt.

Tenor

IAN Trzeći z Bożey Łáski Krol Polski, Wielkie Xiążę Litewskie, Ruskie, Pruskie, Zmudzkie, Mazowieckie, Inflantskie, Wołhyńskie, Kijowskie, Podolskie, Podlaskie, Smoleńskie, Siewierskie, Czerniechowskie.

WIelebni, Wielmożni, Vrodzeni, uprzeymie nam y wiernie mili. To iest iedyne Nasze zawsze, zádni, y lat szczęsliwego Panowánia Naszego usiłowánie, wszytkie trudnośći tak ab extra jáko ab intra záchodzące do pożądánego kierować uspokoienia, y stron przećiwnych ukontentowánia. Wyświadczyliśmy to y około Constytucyi ná bliско przeszłym Seymie, wsprawie Commissiey Piltyńskiey, gdźie gdy strony Xiążęcia Iegomośći Kurlándzkiego koniecznie się napierano Additamentu tákowey clausuli: Salua jurisdictione Ducis Curlandiæ. Tá się záś zdáła wielce præjudiciosa Ecclesiæ Catholicæ. Chcąc tákо-

tákowe ab utrinq́ue uſpokoić certamina, zdáło Nam ſię, tákowym to wyrażić Terminem, niewdawáiąc ſię w jurisdictia Xiążęcia Iegomośći Kurlandzkiego, co ſię ma rozumieć, nie aſſerendo przez to jurisdictionem Illuſtriſſimo Duci Curlandiæ: Lecz reſervando cognitionem, & facultatem judicandi, de jurisdictione prætenſa. Co kiedy uprzeymośćiom, y Wiernośćiom Waſzym wyrażamy: zdrowia dobrego od Páná Bogá, onymże życzemy w Warſzawie die decima Quinta Menſis Auguſti Anno 1685. Pánowánia Naſzego Roku XII Infra ſubſcriptum. Do Wielebnych Wielmożnych Vrodzonych Kommiſſarzow Piltyńſkich.

Tenor Inhibitionis Generoſæ Annæ Sybillæ Maydellowæ, & eius Succeſſoribus ſequitur, eſtque talis.

NOs Sereniſſimi ac Potentiſſimi Principis, Domini Domini IOANNIS Tertij DEI Gratiâ Regis Poloniæ, Magni Ducis Lithvaniæ, Ruſsiæ, Pruſsiæ, Maſoviæ, Samogitiæ, Livoniæ, Smolenſciæ, Kijoviæ, Podoliæ,

Vol-

Volhyniæ, Podlachiæ Severiæ Czerniechoviæque. Et omnium Ordinum Regni Poloniæ, Magnique Ducatûs Lithvaniæ Authoritate Generalium Regni Varsavienſium Comitiorum proximè præteritorum in Ducatum Curlandiæ Epiſcopatumque Piltinenſem per legem publicã Delegati Commiſsarii.

Generoſæ Dominæ Annæ Sybillæ Maydell, tum & Generoſis Filiis ſucceſſoribus Generoſi olim, Ottonis Erneſti Maydell. Capitanei Piltinenſis, Notum eſſe volumus. Deveniſſe ad Notitiam Noſtram quosdam tractatus & tranſactiones, cum Illuſtriſsimo & Celſiſsimo Duce Curlandiæ, inſcia Republicâ, tam antea, quàm in Tractu præſentis Comiſsionis Sacræ Regiæ Majeſtatis & universæ Reipub:, de tradenda Capitaneatus Piltinenſis Tenuta præfato Illuſtriſsimo Duci tractari, & formari, Quod cùm fiat cum enormi læſione jurium Reipub: ſinè cujus expreſſo Conſenſu, alienationes ullæ nec tentari, nec fieri debent. Quocirca Authoritate Sacræ Regiæ Majeſtatis, Reipublicæque universæ nomine præcavemus, monemus,

& mandamus: ut à prædictis transactionibus desistant,, & supersedeant. Idq; sub pœnis in legibus & Constitutionibus contra peccantes in Rempublicã severè sancitis. Inquorum fidem præsentes Magnifico Capitaneo Terræ Vissogrodiensis Commissario, & Electo Actûs præsentis Notario subscribere, & Sigillo munire commisimus. Datum in Piltin die Decima Mensis Ianuarii. Anno Millesimo Sexcentesimo Octuagesimo Sexto. Sigillum impressum; Olbrachtus Adrianus Lasocki Capitaneus Terræ Vissogrodiensis Sacræ Regiæ Majestatis, & Reipub: Commissarius. Electus Notarius Commissionis mpp. Quæ Authentica Inhibitio per sæpè nominatum Commissionis Ministerialem in Castro Piltinensi in manus Generosæ Possestricis Piltinensis est extradita, prout idem Ministerialis recognovit.

Tenor Instructionis per Commissionem datæ Legatis ad Illustrissimum & Celsissimum Dominum D. in Livonia Curlandia & Semigalliæ Ducem expeditis.

Nos Commissarii Sacræ Regiæ Majestatis & Vniversæ Reipub: Polonæ Magniq; Ducatûs

Lit.

Lithvaniæ per publicam Legem Comitiorum Generalium Regni Varſavienſium proximè præteritorum Deputati.

Ex unanimi Conſenſu Magnificos DD. Vladislaum Sokołowſki Succamerarium Livoniæ Seveyſcenſem & Viſſanienſem Capitaneum Concommiſſarium Noſtrum, & Stanislaum Sławogorſki Subdapiferum Podlachiæ Secretarium Regiæ Majeſtatis ad Illuſtriſſimum & Celſiſſimum Ducem Curlandiæ & Semigalliæ elegimus, & deputavimus; Quibus Puncta infra ſcripta commisimus. Ac imprimis Illuſtriſſimo & Celſiſſimo Duci Debitum cultum & Officiorum Noſtrorum propenſionem, Nomine Noſtræ Commiſsionis Authoritatem Regiæ, Majeſtatis, & Ordinum, Spiritualium, & Sæcularium, totiuſq; Reipublicæ, repræſentantis, deferre commisimus.

Accuſabunt Magnifici Delegatinoſtri Fatorum attrocitatem. Quod Miniſtri oretenus ſpecificandi, Illuſtriſſimi Celſiſſimi Ducis in primordiis Commiſsionis ad Vociferationes, & Tu-

multuarias acclamationes, Rebellionem Majestati Regiæ, & Reipub: spirantes, Nobiles nonnullos excitare, & Actum Commissionis infringere, in Personisq; Commissariorum Regiam, & Reipublicæ Majestatem lædere, præsumpserint. Et ut tam gravissima læsio compensetur, hicq; ausus, per satisfactionem sufficientem, non impunè cedat, Nomine Nostro urgebunt.

Explicabunt Illustrissimo & Celsissimo Duci factam esse Reipub: injuriam, ex eo, quòd in præjudicium Commissionis præsentis, ante, & post Comitia Regni Generalia Varsavienſia proximè præterita, Illustrissimus & Celsissimus Dux Curlandiæ, Contractus, & privatas transactiones, cum privatis Nobilibus definire, conatus est. Quæ ex quo cum injuria Reipublicæ præcesserunt, robur, & valorem habere non possunt.

Demonstrabunt insuper Illustrissimo, & Celsissimo Principi Curlandiæ: quia post fundatam Commissorialem jurisdictionem, die Quarta præsentis Ianuarii, juxta determinationem Re-

ipu-

ipub: per legem publicam factam: juxta Constitutiones Regni & usum processerunt, & post tres acclamationes singulis diebus, juxta Statutum Magni Ducatûs Lithv: & Constitutionem Ordinationis Livoniæ præstitas nunc primùm Feria secunda proximè præterita, Illustrissimum, & Reverendissimum Dominum Dominum Nicolaum Popławski Episcopum Livoniæ, Piltinensem, seu Curonienſem, cum Privilegiis juribus, deductionibus, & Authenticis documentis, ad Commissoriale judicium Illustrissimi & Magnifici Commissarii admiserunt, prout effectualiter jam suas probationes authenticas infert, & deducit: & quamvis hæc omnia existimamus per Ministros Illustrissimo & Celsissimo Principi delata esse: & post fundatam jurisdictionem ex Cancellaria Commissoriali Literæ Innotescentiales, eo nomine, sunt extraditæ, nihilominus ex peculiari affectu & observantia Commissio præsens Regiæ Majestatis, & inclytæ Reipub: hæc eadē iterum atq; iterum nunc per Magnificos Ablegatos defert, notificat, ac requirit. Vt Illustrissimus &

celsiſ.

Celsissimus Dux juxta præscriptum Constitutionis Reipublicæ, Iura sua, Privilegia, & quævis Authentica documenta, Domui Ducali servientia, per Plenipotentiarios præsentet, & deducat, & tam ignorantiam, quàm præcipitantiam in futurum non imputet, nullamque injuriam ex Decreto Commissionis prætendat.

Deducent Magnifici DD. Delegati Nostri, quòd primo die Commissionis præsentis statim, post meridiem quinq; Personæ ex gentibus designatæ fundationem jurisdictionis Commissorialis exhibuerunt, & in tempore, post tres acclamationes, juxta Statutum Lithvaniæ, ac Constitutionem Ordinationis Livoniæ, per triduum factas, Feriâ Secunda proximè præterita post adventum duorum Commissariorum, ad negotia huic Commissioni competentia, Illustrissimi Commissarii accesserunt. & in gratiam Illustrissimi, & Celsissimi, Principis, & Actus Commissorialis, in hunc diem, negotia protraxerunt.

Præter hæc specialem Nomine Commissionis

nis præsentis Magnifici DD. Ablegati inferent instantiam, ad Illustrissimum & Celsissimum Principem ex Parte Illustrissimi & Reverendissimi Episcopi Piltinensis seu Curonienſis, pro Vacante Ecclesia Guldingensi: Quatenus Celsissimus Dux non differat, præsentare illi, utì vero & legitimo Ecclesiarum Catholicarum in Curlandia Pastori, subiectum congruum ad prædictam Ecclesiam pro Parocho instituendum; curamq; istius Ecclesiæ ad reparationem per se promoveat, & si interim, persona præsentanda, non occurrit, Illustrissimo & celsissimo Duci eam recommendaturus est Illustrissimus & Reverendissimus Episcopus, maximè cum iam Illustrissimus Episcopus Samogitiæ renuntiaverit per expressas literas, in facie commissionis præsentis productas, Administrationi Ecclesiarum illarum.

Serenissimus Rex, per literas authenticas, commendavit ad sustentationem Illustrissimorum Commissariorum, ipsorumq; familiarium & equorum necessaria, ac eam provisionem sufficienter, & tempestivè intimavit. Quapro-

propter cùm eædem Provisiones porrò non sufficiunt, Nostri Magnifici D. D. Ablegati, eo Nomine, cum Illustrissimo & Celsissimo Duce conferent, & extraditionem Provisionum Nomine publico urgebunt.

Supplicavit Generosus D. Hilzen, ut eum Illustrissimo, & Celsissimo Duci, ipsiusq; causam commendemus. Ideò Magnifici D. Ablegati Nostri obnixè petent: ut Illustrissimus & Celsissimus Dux, absq; prorogatione, ipse eandem causam disjudicet, & sublatis Partium diffugiis, per Decretum hocce Negotium definire dignetur. Quæ puncta per Nostram Commissionem hìc connotata, Magnifico Domino Domino Capitaneo Terræ Vissogrodiensis Cõmissario & Electo Actûs Nostri Commissorialis Notario subscribere & Sigillo communire commisimus. Datum in Piltin die Nona Mensis Ianuarii Anno Domini Millesimo Sexcentesimo Octuagesimo Sexto. Sigillum impressum. Olbrachtus Adrianus Lasocki Capitaneus Terræ Vissogrodiensis Commissarius Sacræ Regiæ Majestatis & Reip: Electus Notarius Commissionis manu propria.

De.

Demum Magnificis DD. Legatis ad Illustrissimum & Celsissimum Ducem Nomine totius Commissionis destinatis Illustrissimi Commissarii Literas Credentiales Subscripserunt, & specialiter commiserunt ut explicent: Quod jura & prætensiones, Domus Ducalis, & trutinaverunt & bene discusserunt, & si quæ adhuc documenta ulteriora pro Parte Illustrissimi & Celsissimi Ducis habentur reproducat. Et quoniam nil aliud pro Parte suæ Domus Ducalis coram delegatis exhibuit: nisi instrumentum Pactorum subjectionis ab Augusto Sigismundo Poloniæ Rege datum, in Pargameno sub sigillo Regni; cujus Instrumenti cum Articulos omnes sat abuude discusserimus: Nihil ampliùs addendum censemus,

In Tractatu præsentis Commissionis, venit Illustrissimus & Reuerendissimus D. Eustachius Kotowicz Referendarius Magni Ducatus Lithv: Commissarius itidem ad præsentem Commissionem per publicam Legem designatus & locum in Actu Commissoriali obtinuit.

Die Decima Sexta Mensis Ianuarii Illustrissimi D. D. Commissarii Sacræ Regiæ Majestatis & Reipub: Vniversæ: Occurrendo imposturis & maleuolorum traductionibus, modestiæ, & innocentiæ suæ conscii, Magnificum Dominum Stanislaum Sławogorski Regiæ Majestatis Secretărium ad Magnificum Dominum Christophorum Henricum Puttkamer Baronem Illustrissimi & Celsissimi Ducis in Livonia Curlandiæ, & Semigalliæ, Supremum Ministrum & Consiliarium, tùm Generosam Annam Sybillam Maydell, Viduam Castri & Oppidi Piltinensis Capitaneissam & Possestricem delegaverunt, & deputaverũt, cum Requisitione, ut si quispiam, siue ex Oppidanis, siue ex Villanis, vel minimam ad quemuis ex Familiaribus Illustrissimorũ Commissariorum prætendit injuriam: coram Illustrissimis Commissariis Die Crastino, ante determinationem Actus Commissorialis, compareat, & satisfactionem requirat.

Tenor literarum intimationis Commissorialis de terminatione Commissionis & præfixione Termini in Iudicio Sacræ Regiæ Majestatis

Nos

NOs Sereniſsimi, ac Potentiſsimi Principis, ac Domini Domini IOANNIS Tertii Dei Gratia Regis Poloniæ, Magni Ducis Lithvaniæ, Ruſsiæ, Pruſsiæ Maſoviæ, Samogitiæ, Livoniæ, Smolenſciæ, Kijoviæ Podoliæ-Volhyniæ, Podlachiæ, Severiæ, Czerniechoviæq; Et omnium Ordinum Regni Poloniæ, Magniq; Ducatus Lithvaniæ, Authoritate Generalium Regni Varſavienſium Comitiorum, proximè præteritorum per Legem publicam Delegati Commiſſarii.

Vniverſis, & ſingulis, præſertim Illuſtriſsimo & Celſiſsimo Principi Domino Friderico Caſimiro DEI Gratia in Livonia Curlandiæ; & Semigalliæ, Duci; & Generosæ Annæ Sybillæ Maydell Viduæ, tùm Generoſis Ioanni, & Theodoro Maydellom Filiis, & Succeſſoribus, Generoſi olim Ottonis Erneſti Maydell Capitanei Piltinenſis, ac omnibus Nobilibus Bonorum Epiſcopatus Piltinenſis Poſſeſſoribus, & ad præſentem Commiſsionem jus, & interreſſe prætendentibus Notum eſſe volumus. Quia die hodierna, Actum Commiſ-

sorialem ex mente Sacræ Regiæ Majestatis & Reipub: juxta Constitutionem Comitiorum proximè præteritorum ritè & legitimè determinavimus. Et inhærendo Legi Publicæ pro approbatione & ultimaria decisione. Causam hanc ad judicium S. R. Majestatis, authoritate præsentis Commissionis remisimus: & Partibus utriq; Die Decima Quinta Mensis Martii proximè instantis Anno nunc currenti Terminũ peremptoriũ sine quavis Adcitatione amputatis omnib⁹ d ffugiis, conseruauim⁹, & præfiximus. inquorũ fidem præsentes manibus Nostris subscripsim⁹, & Sigillis munivimus. Datum in Piltin die Decima octava Mensis Ianuarii, Año Millesimo Sexcentesimo Octuagesimo Sexto. Ioannes Kos Castellanus Livoniæ Capitaneus Ostrołęcensis Director Commissionis. Eustachius Kotowicz Referendarius M. D. Lithv: Commissarius S. R. Majestatis & Reipublicæ. Andreas Giełgud Notarius M. D. Lithv: Sadoviensis Gubernator. Casimirus Michàél Pac Eques Melitensis Notarius M. D. Lithv. Cõmissarius. Michàél Lasocki Succamerarius Vissogro-

sogrodensis Commissarius Regni. Olbrachtus Adrianus Lasocki Capitaneus Visiogrodensis S R. Majestatis & Reipub: Commissarius. Ioannes Henricus Plater Capitaneus Livoniæ & Dineburgensis Commissarius S: R. Majestatis & Reipub:. Vladislaus Sokołowski Succamerarius Livoniæ Seneyscensis Visaviensis Capitaneus S. R. Maiestatis & Reipub: Commissarius. Stanislaus Sławogorski Subdapifer Podlachiæ Secretarius S. R. Majestatis & Commissionis. Quas intimationis Literas Ternas unam in Castro Piltinensi in Mensa Hypocausti præsente Generosa Maydellowa Capitaneissa. Alteram in Mensa Hypocausti Proconsulis Piltinensis, apud quem Officiales Illustrissimi & Celsissimi Ducis diuersorùm habere consueuerunt, Et Tertiam ad Valvas Domus in qua Commissio celebrabatur affixit, posuit Ministerialis Regni Generalis Prouidus Georgius Vrniasz. De quo hanc fidelem præsenti Commissioni fecit Relationem.

Ioannes Kos Castell. Livoniæ Capi: Ostrolec. Director Commissionis L. S.

Eustachius Kotobicz Referen. M. D Lith. Commissarius S. R. M. & Reip: L. S.

Andreas Gielgud Notarius M D L. Sadoviensis Gubernator. L. S.

Casimi-

Casimirus M. Pac Eques Militensis Commen. Posnaniensis Notarius & Commissarius M. D. Lit. mp.
L. S.

Michael Lasocki Succamerarius Terræ Vissogrodiensis Cap. Lubochnensis Com. S. R. M. & Rei. mp.
L. S.

Olbrachtus Adrianus Lasocki Capitaneus Terræ Vissogrodiensis Commissarius S. R. M. & Reip. mp.
L. S.

Ioannes Henricus Plater Livoniæ Capitaneus Commissarius S. R. M. & Reipub. mp
L. S.

Vladislaus Sokolowski Succamerarius Livoniæ Seneyscensis Visabiensis Capitaneus S. R. M. & Reip: Commissarius mp.
L. S.

Stanislaus Slawogorski Subdapifer Podlachiæ S. R. M. & Reipub. Secretarius, mp.

Pro Conclusione prædictorum omnium expressiùs hîc apponuntur Tria.

Primo Decretum Regium incompetentiam Ducibus Curlandiæ ratione Fœudi ad Piltinensem Tractum declarans.

Secundo. Investitura Illustrissimi Iacobi Ducis Curlandiæ, ex vi permutationis nullum jus Ducibus Curlandiæ ad Episcopatum Piltinensem attribuens.

Tertio. Articulus Pactorum Olivensium, omnes Tractatus Ducis Curlandiæ cum Suecis pro Piltina rescindens.

Tenor Decreti, Uladislai IV. sub Illustrissimo olim Georgio Ossolinski Supremo Regni Cancellario Vilnæ Anno 1644 Feria 5. post Dominicam Passionis.

Sacra Regia Majestas, auditis partium controver-

troversijs, visisq; & bene perpensis ab utrinque juribus & Investituris, quantum attinet jus Fœudale, quod Illustrissimus Actor sibi ad Districtum seu Arcem Piltinensem, una cum Tenuta Curonensi, & illorum attinentijs universis vigore Tractatuum, Investiturarum & aliorum jurium in Processu specificatorum competere prætendit, eo in consideratione habito, quandoquidem Illustrissimus Actor non deducit, neq; comprobat, allegatos Tractatus effectum suum sortitos, nec eorum vigore ipsum nec Illustrissimos Antecessores ejus utilè bonorum præfatorum Dominium aliquando habuisse, nec juxta earundem Investiturarum continentiam; aliquid ea in re omnium Ordinum Consensu hucusq; statutum esse, Ideo salvis in omnibus alijs suis punctis, conditionibus, & articulis Investitura & conventionibus, cum eodem Illustrissimo Actore, Anno Millesimo Sexcentesimo Trigesimo nono intervenientibus eisdemq; in suo robore, & viridi observatione sacrosanctè manentibus, req; omni in eo statu, in quo antehac

fuit

fuit, juxta earundem investiturarum tenorem relicta, neq; quin posthac, eâ de re, cum Ordinibus Regni agat, via Illustrissimo Actori præclusa, citra tamen derogationem & præjudicium Iuriũ Generosi moderni Citati, eundẽ Illustrissimum Curlandiæ Ducẽ, incompetentem hoc in puncto Actorem esse adinvenit. Quod verò concernit exemptionem eorundem bonorum, & hypothecam in eisdem pro summa Triginta millium Talerorum, licet quidem Is idem Illustrissimus Actor manifestationem eo nomine, Anno Millesimo quingentesimo octuagesimo quinto factam; ac consensum Sereniſsimi felicis memoriæ Parentis S. R. M. desideratissimi Anno Millesimo, Quingentesimo nonagesimo primo benignè concessum, ac Decretum Commissoriale Millesimo quingentesimo nonagesimo septimo, tum constitutionem Regni, Millesimi sexcentesimi noni, & varia Responsa Comitialia, ratione dictæ exemptionis & hypothecæ producata; nihilominus tamen cum ánteceſſores Illustrissimi Actoris, intra Triennium & Trime-

stre

ſtre, ſecundum juris præſcriptum, & immemorabilem hujus Regni, & curiæ conſvetudinem eorum omnium executionem neglexerint proindeq; jura & Privilegia ipſo facto evanuerint, nulliusq; ſint roboris & momenti. Generoſus autem Citatus ex Privilegijs & Documentis authenticis proparte ſua productis, potiùs & pingvius Ius, & pacificam poſſeſsionem tam ratione advitalitatis, quàm hypothecæ, in ſumma Triginta millium Talerorum Imperialium, in eiſdem bonis ſupra ſpecificatis, de quibus res eſt, legitimè & evidenter deducit & comprobat; Ideo inhærendo juris præſcripto, præſenti actione incompetenti adinventa; Citatus ab Actione & impetitione Illuſtriſsimi Ducis liber pronunciatur, atq; circa Ius ſuum advitalitium, tum quoq; circa eandem hypothecam ſummæ præfatæ Triginta millium Talerorum imperialium Ipſum cum ſuis hæredibus & ſucceſſoribus concernentem; nec non pacificam eorundem bonorum & illis annexorum quorumq; poſſeſsionem dicta ad vitalitatè durante, eâ vero finita, uſq; ad inte-

gram ſummæ præfatæ Triginta millium Talerorum ſolutionem & reſtitutionem, juxta Privilegiorum & jurium dicto Generoſo citato ſervientium tenorem & continentiam conſervatur. Ius verò ſalvum & integrum Illuſtriſsimo Actori, ratione evictionis ex cauſa hypothecæ, in ſupra ſpecificatis bonis & attinẽtijs ſuis univerſis, pro ſumma Triginta millium Talerorum. per olim Illuſtriſsimum Wilhelmum Ducem, Illuſtriſsimi Actoris Parentem Illuſtriſsimo olim Ioanni Sigiſmundo Electori Brandeburgico Duci Pruſsiæ, ut Illuſtriſſimus Actor dicit, perſoluta Ipſi Illuſtiſsimo Actori juxta inſcriptionem, ea de re factam, ſerviens, contra hæredes, & ſucceſſores dicti Illuſtriſsimi Ioannis Sigiſmundi, & alios quoſvis in quantum, & prout de jure, in foro fori reſervatur.

Tenor Inveſtituræ Illuſtriſsimi Iacobi Ducis Curlandiæ Anno 1649. 28. Menſis Maij

Regni Sceptra tenente Sereniſſimo Joanne Caſimiro:

Cum

CVmq̃ inter cætera & hoc inter Sereniſſimum Prædeceſſorem Noſtrum Divum Sigiſmundum Auguſtum, & Illuſtriſſimum ejus Avum convenerit, ut permutatione Epiſcopatus Curonienſis pro Sonneburga Arce, Curijs Leal, & Madzel, Illuſtris Dux Magnus contentetur, ad eam rem prædictus Avus Noſter D. Sigiſmundus Auguſtus & Sereniſſimus Rex Stephanus Sereniſſimusq̃ Parens & Frater Noſter, operam receperunt, ut cum reliqua Curonia, Epiſcopatu Curonienſi quoq̃ Sua Illuſtritas potiatur. Poſtea autem cum vivente Duce Magno permutatio ea perfecta non fuiſſet, graviſsima autem de Epiſcopatu eo Controverſia inter Divæ memoriæ Deceſſorem Noſtrum Stephanum & Sereniſſimum Daniæ Regem exorta; tandem Sereniſſimus quondam Daniæ Rex per tranſactionem, ex certis Conditionibus Sereniſſimo Deceſſori Noſtro, Regnoq̃ jus ſuum, quod habere ſe in eo Epiſcopatu exiſtimabat, ceſsiſſet: Nihil hoc tempore ſine omnium Ordinum conſenſu ſtatuere, ea de re poſſumus, rem omnem in eo ſta-

tu, in quo ante fuit, relinquimus neq; quin post hac ea de re cum ordinibus agat, viam Illustritati Suæ præcludimus.

Tenor Articuli Pactorum Olivensium.

OBligationes atq; recognitiones, si quæ sunt ab Illustrissimo Curlandiæ & Semigalliæ Duce aut incolis Curlandiæ & Semigalliæ, Districtusq; Piltinensis exortæ per Svecos aut viceversa à Svecis per Polonos in totum cassantur, nullumq; habere pondus declarantur.

Ex ijs sincerè perlectis quilibet cui DEVS & veritas præ oculis est animadvertat, quam absq; omni scrupulo conscientiæ absq; ulla ratione veri & honesti, præsumant Ministri Ducis Curlandiæ asserere & scriptis typo expressis promulgare, Episcopatum Piltinensem, seu Territorium, ut illi vocant, & ratione feudi & ratione permutationis pro quibusdam Arcibus, deniq; ratione transactionis cum Svecis, pertinere ad Duces Curlandiæ, si hæc in viridi contra recentissima documenta, & decreta Regum, ignorantibus obtrudere audent, quid in

ari-

arido antè actorum temporum, Ordinariè inferiorum etiam subselliorum, Vltima sententia terminum prætensionum ponit, apud hos suprema Regum Oracula hujusmodi authoritatis non sunt Deus T. O. M illuminare dignetur ex alto sensus & corda ambulantium in tenebris.

Deniq; ad eundem finem apponitur & Manifestatio Nobilitatis Piltinensis jus omne Illustrissimis Ducibus Curlandiæ ad Districtum Piltinensem firmissimè semper refutantis, unde si aliter nunc (quanquam non ab omnibus) sentitur, fit non ex justitia sed ex summo contrá Christum ejusq; veram Catholicam fidem, Hereticis innato odio; de quibus tamen minimè desperandum, quod & hos Divina bonitas illustratura sit, ut agnoscant discernere inter bonum & malum, dulce & amarum, præsertim salvis eorum Iuribus ac Priuilegijs Nobilitatis manentibus.

Actum in Curia Regia Varsauiensi Feria Quarta post Festum SS. Innocentum, proxima, Año Dñi Millesimo Sexcentesimo Sexagesimo sexto.

Ad

AD Officium & acta præsentia Castrensia Capitanealia, Varsavienſia perſonaliter venientes Generoſi Paulus Szydłovvski, Pincerna Palatinatus Plocenſis, Stephanus Tarnovvski, Iudex Terreſtris Iuniuladislavienſis, Stanislaus Michàél Vbyſz Vexillifer Goſtynenſis, Petrus Paulus Stepovvski Subdapifer Goſtinenſis, Staniſlaus Zareba Iudex Terreſtris Sandomirienſis, Nicolaus Szkaſzevvski Vexillifer Terræ Bielſcienſis, Paulus Młocki Iudex Terreſtris Ciechanovienſis, Francſcus Golinski Burgrabius Terreſtris Koninenſis, Ioannes Melchior Billevvicz Iudex Caſtrenſis Ducatus Samogitiæ, Adamus de Obory Oborski, Dapifer Livenſis, Alexander Trzebuchovvski Pincerna Iunivladiſlavienſis, Ioannes à Bracoſin Zenovvicz Terræ Oſmianenſis, Capitaneus Kiernovienſis, Matthæus Przecisievvski Subjudex, Paulus in Moſtovvo Moſtovvski Notarius Terræ Plocenſis, Nuncij ad Comitia Regni Generalia coram eodem Officio Manifeſtationem & Proteſtationem fecerunt in hunc qui ſequitur modum. Nos Palatinatuum, Terrarum ac Diſtrictuum, Regni Poloniæ, Magniq; Ducatus Lithvaniæ ad Comitia Regni Generalia Deputati, hanc coram Actis Caſtrenſibus, Capitanealibus, Varſavienſibus facere Manifeſtationem ac Proteſtationem Publicæ rei expedire duximus. Quoniam propter diſcordantiam certorum membrorum, Comitia concludi, aut quævis aliâ publicâ lege ſtatui, firmarivè nequiverunt, ideoq; etiam in Cauſa nobilitatis & Capitaneatus Diſtrictus Piltenſis, contra illuſtriſſimi Curlandiæ Ducis conatus. quibus eundem Diſtrictum privata authoritate ex cointelligentia & inductione certorum ejuſdem Diſtrictus Nobilium, conſenſu S. R. M. âd ſiniſtram informationem ad id obtento, non attenta incorporatione & connexitate cum Republica ex tranſactione de anno 1583, uti ex conſtitutione Regni, de anno Milleſimo Sexcenteſimo undecimo, Decretoq; S. R. M. de Anno Milleſimo, Sexcenteſimo qnadrageſimo quarto, deniq; Caſſatione per Inſtrumentum Pacis Olivenſis omnium eorum, quæ in caſu ſimili belli Svetici violentia, tanquam nulliter geſta ſunt, contra hæc & complura alia documentâ, illius intentioni prorſus contraria, tum quod maximè notandum eſt, non requiſitis Regni Ordinibus ſui Ducatus Iurisdictioni adijcere, eoq;

Diſti

Distrietu, sui Ducatus Dominium, cum Reipublicæ diminutione, modo illicito ampliare satagit. pro nunc nihil decerni potuit. Ideo pro interesse, & emolumento Reip. Districtus Piltensis immunitates, & jura nunc & in futurum sarta tecta manere, istiusque Nobilitatis indemnitati mature consulere cupientes, hanc Manifestationem contra Illustrissimi Ducis Curlandiæ intentiones, unanimi subscriptionum Nostrarum consensu ad Acta præsentia Castrensia Capitanealia interponere voluimus, prout etiam de nullitate Prætensionis Ducalis in Districtum Piltensem, contra verò, quod integra & inviolata Districtui Piltensi lura & Privilegia manere debeant, præsentibus solennissimè protestamur, salvam actionem, nomine Reipub: contra dicti districtus Piltensis Nobiles, quotquot fuerint, qui in derogationem lurium totius Districtus impertinenter Illustrissimo Duci, se submiserunt, eoq; facto in Rempub: delinquerunt, atq; ideo bona sua, tanquam vacantia publicæ dispositioni commiserunt, nisi resipuerint. Instigatori Regni in Comitijs proximè futuris, reservantes. Quare præsentem manifestationem ac protestationem Nostram Actis præsentibus Castrensibus Capitanealibus inscribi volumus, editam & subscriptam Varsaviæ post interrupta Regni Comitia, Anno Domini Millesimo Sexcentesimo Sexagesimo Sexto.

Ex Actis Castrensibus Capitaneatus Varsav. rescriptum.

L. S. Correxit Gadomski.

Sed potissimas penes Principes Polonos dissoluti Imperij causas esse; qui multa circa Fœuda contra Patrium morem Legesq; Regni immutando, suâ indulgentiâ periculosum gravemq; Reipub: in Ducibus Fœderatis ambitum excitarunt. Sic VLADISLAVS vastæ cogitationis Princeps; sive ut votis suis plures adver-

adversus libertatem conciliaret Socios, pararet adjumenta: seu ut coercito intra angustiores terminos Regno facilius imperaret, duobus Fœderatis viam velut monstravit: facilitate Regum & propria illorum industria ad ~~contemptum~~ in absoluti Dominij fastigium, nam Anno 1639no. Vilnæ agens: solenni ritu tradiderat successionem Fiduciariam Vilhelmi Ketleri Curlandiæ olim Ducis Filio. Personabant proxima Comitia amplissimis ea de re Ordinum querelis: quod non in Comitijs Regni, nec prævio ordinum Decreto illa Fiducia fuerit tradita. sed apud Principem Magnanimum & ad absolutam potentiam proniorem, gustu Dominationis, penetrantes licet animũ Principis acerbitates tamẽ leniebantur.

IVS VECTIGALIVM

INcuriosa boni Ordinis circa Portus Polona Resp. familiari omnium Populorum liberi status vitio urgetur difficulter ad summa negotia etiam pro salute sua descendendo, ma-

ximè ubi prægrandi opus eſt ſumptuum magnitudine. Nam dum in Agrarijs contributionibus omnem vim publicorum ſumptuum reponit: ſæpe opes ſuas exhaurit & validiſſimi Exercitus robur diſſipat, ad occaſiones rerum milite invalido, ſubtracto Bellorum nervo, deficiente ſtipendio VECTIGALIA porro ſi recte cuſtodiantur; rem ſaluberrimam eſſe magno futuro Imperio: cum potiſſima expeditiſſimarum opum pars & ad ſubitos belli caſus promptiſſima ex vectigalibus conſtat. Ita in Venetiarum Ciuitate ad uſus belli colliguntur ex vectigalibus 700. Millia aureorum: eadem ſumma annui reditus percipitur ex Siras Vrbe in Perſia ſupra Bindimirum Fluvium jacente. Notabilis reditus Moſcorum Ducis ærarium auget ex Aſtrachan Vrbis portu ad Mare Caſpium, quo Perſiæ & Armeniæ merces invehuntur. Genuenſis Reſp: Magnus Dux Hetruriæ non alijs opibus æſtimationem ſibi & ſecuritatem apud univerſos Italiæ Status peperêre. Celebris quoq; olim Crucigerorum in Pruſsia Ordo, non alio opum ſubſidio, vaſtam

Polonorum Regum potentiam & diuturna bella sustinuit magnisq; negotijs & sumptibus sufficit, quam TELONEO FVNTZOL è Gedanensi Portu singulis annis ad Sexcenta nummorũ Millia percepto at moder nis temporibus supra prædictum Teloneum Funtzol, quod sub alio Nomine Culagæ exigitur, Proventus ex Accisis à Transmarinis Liquoribus, qui ex natura sua Portorij redituũ pars est, cum cæteris Datijs Crucigerorum antiquum illum superent reditum indeq; non modo ingenti damno, sed etiam existmationis apud Exteros dispendio Regnum afficiatur: quod à modicis Civitatibus sive inscitia, seu ob socordiam rerum omnium suarum penitus ignara Repub: Dominium Maris Baltici & Nobilissima pars Proventuum detineatur. Proinde de Majorib⁹ Civitatibus in Prussia scripturus, quæ Portus commoditate gaudent, quarum Præcipuæ sunt Gedanum & Elbinga. De nobilissimo Teloneo Funtzol, incremento Potentiæ, quam ignorantiâ Reipublicæ, conniventiâ Regum, malevolentiâ & avaritiâ Ministrorum Regni in

im-

immensum protulere, tum de gravissimis in Remp. Præjudicijs, & enormiter læsis Iuribus Majestatis ac Reipublicæ, imprimis tamen de modicis earum initijs & origine dicendum est.

GEDANVM.

ANtiquissima Vrbs in Terris Prussiæ, olim vicus, & primum à Sobislao Pomeraniæ Duce Anno 1155. jure Civitatis donatus, modicis initijs suis (quæ omnium fere magnorũ communis origo sunt) in eam opum magnitudinem excrevit; ut primum fere modo locum inter Septemtrionales vrbes & totius Europæ Emporia obtineat, statim ab exordio continuâ prosperorum indulgentiâ, & quasi fatis ipsis eorum Fortunam ad culmen impellentibus, Nobilissimæ vrbis in Gottlandia à Christiano I. Rege Daniæ demolitæ, Wizbii dictæ, depositorio & Stapulâ Septemtrionalium opum celebratissimæ excidio aucta à Popularibus, ob paucos ad littus Maris Baltici Piscatores modica tuguriola inhabitantes, sed ob fertile piscium littus ex opulentâ captura lascivientes, compo-

tationibus & continuis choreis deditos theutonica nomenclatura TANCK apellatum præsagia iam tum populi voce; quasi ob nimiam affluentiam opum semper luxuriare deberent, parum anxii de Potestatis vocabulis, quæcunq; illis Fortuna sive Ducum sive Regum Nominibus aliquando imponeret. Nescio tamen cur tam connexum nimiæ potentiæ libidini affectum habuerint, quod vnde utilitas ostendebatur. illuc semper fidem & obsequium in Principes transferebant eàq; causa à Duce Pomeraniæ Mszczugio Swantopelci Filio natu majore opera BOLESLAI Principis Poloniæ, adhærentem Gedanensem Civitatem per factionem CONRADO Marchioni Brandeburgensi vi receptam, & inquosdam Cives animadversum, ALBERTVM scilicet & IACOBVM, quos cum cognatis capitis damnatos Villasq; eorum Skrobotow & Witomino Episcopo ALBERTO & Ecclesiæ Vladislauiensi Anno Dñi. 1271mo. donatas esse. Anno autem 1304. iterum Gedanenses PETRO Szwanca seditionis Auctore ad Marchiones Brande-

bur-

burgenſes defecerunt, ſed Bogùſzæ judicis Pomeraniæ Capitanei Gedanenſis induſtriâ fide Præſidiariorum Arcis, Magiſtri quoq; Pruſsiæ de Płocko viribus & VLADISLAI ŁOKIEtek Principis Poloniæ vi expugnati & plures illorum capitis damnati, Ob impia etiam contra Orthodoxam Religionem molimina punitos eſſe ſcribit PIASECIVS, gravis rerum Polonarum ~~Actor~~ Auctor. SIGISMVNDVS enim Primus, ubi periclitari Religionem Gedani vidit, Civitatem una cum ALBERTO Brandeburgico Duce & GEORGIO Pomeraniæ Sororinis ſuis divertens; eorum Primarios contra Religionem Catholicam tumultuantes compeſcuit, authore præcipuo tumultus uno ex Magiſtratu IOANNE Szulcz qui primus Cathedram Templi Primarij Gedanenſis aſcendens, Hæreſim prædicavit, Concionatoreſque hæreticos eo induxerit, in medio poſtea Fori Gedanenſis, una cum tredecim alijs tumultus illius anteſignanis capite per lictorem truncari juſit. At STEPHANVS Poloniarum Rex iam adultos ideòq; ad ambitum ferociores cum

Ar-

Archiepiſcopo Vchanſki alijsq; proceribus Regni Maximiliani II. Archi-ducis Auſtriæ partes ſequentes diuq; ob eandem factionem contumaces Comitijs Regni Torunij celebratis, 1576to Anno proſcripſit, dein 1577mo. Anno die 17ma. Aprilis bipartita eorum Caſtra ſub Villa Lubiſzow expugnavit, eodemq; impetu ad obſidionem redactis magno negotio Electorum & Principum Germaniæ potiſsimum vero operâ Ducis Saxoniæ humillimè culpam deprecantibus reconciliatus, dicta Rebellioni pœna nimirum; ut ſuis Commiſſariis jusjurandum præſtarent, viginti florenorum millia ad deſtructi Olivæ Cœnobij reſtaurationem, & ducenta florenorum millia per portiones in quinquennium diſtributas ſolverent ſingulis quoq; annis in pignus debitæ ſubmiſsionis ad Tributum privato Principis ærario inferendum ſunt iiſdem Legibus obligati. In SIGISMVNDVM quoq; III. atrox facinus à Gedanenſibus commiſſum eſt, Regnum is ſuum Anno 1593. Sveciæ avitum repetiturus Gedani ſubſtiterat, ac Menſem moratus, plures controverſias Civita-

vitatum Borussicarum composuit: Torunij & Elbingæ singula Templa pro Catholicorum usu tradi fecit, quod cum & Gedani Rozrazevius Episcopus Vladislavienſis vrgeret, & Beatissimæ MARIÆ VIRGINIS Templũ pro Catholicis Vindicaret, Magistratus Gedanensis pertinacius restitit. neq; Rex aliquid certi in eo negotio decernere voluit, dehortantibus maximè Suecis: ne Populi Suetici eo exemplo reformandæ Religionis terrerentur: sed Princeps ob neglectum cultum, bono successu indignus fuit: quod manifesto prodigio notatum est Nam antequam Gedano abiret, gravis tumultus levi de causa exarsit; quod famulus quidam à bajulo trusus esset, explosis è bombarda aliquot jaculis in fenestras Regij conclavis dignum scelus, quod universæ Vrbis excidio pensaretur. Sed cum illis impunè cessisset tantum maleficium, segni ad vindicandas Majestatis iujurias Principe, sive ob mærorem; quod adversa tempestate, cum secundo vento solvisset Gedano rursus Helam littori Baltici Promontorium rejectus esset.

Attro-

Attrociora contra Filium ejus Vladislaum IV ausi sunt, postquam prima contumacis audaciæ feliciter proueniſſent. Rex enim magnanimus & gubernandi prudens, fraudumq; quibus Gedanenſes publicas Regni opes diſtraherent impatiens, ſub A. 1637mum. cũ in littore Pucenſi Civitatẽ Portumq; de ſuo Nomine Vladiſlavia vocatum fundari curaſſet, comparaſſetq; claſſem, quæ contra hoſtiles ex illo Mari excurſiones excuberet, gnarus, non ſatis validum eſſe quemcunq; Principem; cujus Terreſtrem militiam, maritimarum Virium potentia non ſuſtentaret. pro ea alenda IVRE REGIO moreq; in omnibus alijs Regnis ac Dynaſtijs, vſitato, moderatum quoddam tributum adducens mercatoribus, ad littora Regni ſui, præcipuè Dantiſcum commeantibus exigi voluerat. cujus inſtituti præceſſerat exemplum ſub SIGISMVNDO AVGVSTO REGE POLONIÆ, idq; ipſum Nobiles Provinciæ Pruthenæ Ordines imò & Civitates (præter Gedanum) ſummoperè expetebant. Gedanenſes vero, ut ſcribit Piaſecius, ad omnes occa-

occasiones contradictionibus dilatandi suas libertates intenti, & præsertim magistratus in illa Civitate gerentes, ad quos opimiora lucra ex tributis maritimis derivantur, statim quærelas molestiores concitarunt. Postremò postquam in Comitijs sequentis Anni de tributo maritimo apud portum Gedanensem instituendo disceptaretur, concordiq; voluntate omnes Ordines etiam Terrarum Prussiæ statibus consentientibus decrevissent, ut institueretur exigente Reipub: necessitate, inquâ alia quoq; Regna tali subsidio atq; prærogativa libere utuntur, ac delegassent ad illum æstimãdum ordinandumq; tam ex Senatu quam Equestri Ordine Viros Primarios: Gedanenses idipsũ impotenter accipientes, Plebẽ Vrbanã planè invitam, & quæ palam obtestabatur, quod Regiis mandatis parere vellet ad tumultuandum pro defensione, ut ajebant, jurium suorũ, concitabant, militem externũ statim conduxerunt, satis monstrato in omne æuum maligno erga Rempub: animo. quod eo usq; tantum in fide & subjectione erga Reges essent, quousq; à par

te commodorum ſuorum ſtare illis permitteretur, quæ cuncta concidere videbant, ſi opulentiſsimo Teloneo Funtzol alijſq; DATIIS ad ELECTIONEM NOVI PORTVS (medio ſcilicet in Publicum haud dubiè ſaluberrimo) privarentur. Verum hic tam utilis pro Repub: conatus, ut ferme omnia apud Polonos negotia, initiis valida, ſpatio langveſcunt; paulopoſt largitionibus ſopitus conquievit.

Eſt autem EVNTZOL, quod modo ſub nomine CVLAGA exigitur, quaſi ſub ſpecie exilis additamenti inſigne uectigal maritimũ per Mare & Portus maritimos Provinciæ ab invectis aut euectis mercibus introductum, & tam Reipub quam Provinciæ Terrarum Pruſſiæ onerosũ, cum præter jacturã quamquiſq; privatorũ inſuis mercib⁹ experitur, etiã Provinciæ publica hinc graviſq; emerſit læſio, ſubtracta tertia parte dicti Telonei, quæ Pruſsiæ Terris juxta veterem ordinationem cedere debebat & cõtinuo ab Año 1443. uſq; ad Aũnm 1454 ſoluta eſt. Eſt enim hoc Vectigal illud ipſum & idem teloneũ quod primo à Ciuitatibus Han-

ſea-

seaticis Crucigerorum tempore, contra Pyratas, commercia maritima infestantes, adinventum, & postea à Crucigeris ea tempestate Prussiæ Dominis disputatum, deindè per decretum & Privilegium Imperatoris Friderici II. Magistro Ordinis consensum ad usus Provinciæ, & quamvis Ordines Terrarum Prussiæ Teloneum id initio detrectaverint, tandem tamen citati ad judicium Imperatoris Anno 1443. cum Magistro Ordinis transegerunt, & in solutionem ejus consenserunt, & defacto solverunt, usq; ad annum 1454 tum, ubi unio & Incorporatio cum Regno Poloniæ consecuta est. Nec continuò exigebatur, sed tantũ belli tempore & necessitate Provinciæ exigente solvebatur, Modus percipiendi & usus exacti qualis fuerit? docet Recessus Provinciæ Terrarum Prussiæ, præsertim Anni 1443. Magistrum Prussiæ, non per Civitatum, sed Ordinis Officiales duas partes percepisse, tertiam verò partem per Consulem Civitatis accipiendam, & ad usus non proprios aut priuatos, sed publicos totius Provinciæ Prussiæ, Legationes

nimirum & sumptus pro Legationibus ad externos principes relictam fuisse, atq; de hac tertia proventuum parte, rationem in Conventibus Terrarum Prussiæ reddidisse: luculenter patet ex Recessibus Provinciæ in Anno 1443. & 1446. & sequentibus Actis idipsum potest demonstrari

Id Teloneum, quoniam ea tempestate Regno Poloniæ plurimum nocivum, & præjudicioſum fuisse constat, cum per hoc ipsum Respub: Polona Provinciæ Prussiæ vectigalis facta esset. tentatumq; in Anno 1436 Tractatu inter VLADISLAVM IAGELLONIDem, Poloniæ & postea Hungariæ Regem, & PAVLVM de Rusdorff, Magistrum Prussiæ de abolendo gravi Regnicolis præjudicio. sed cum parum ea opera succesisset: adjutus CASIMIRVS REX, opportunitate subjectionis Terrarum Prussiæ, per Pacta Incorporationis in Anno 1454. in perpetuum abrogavit. nam inter alias causas Pruthenorum Patrocinij & Protectionis assignat expressum in suo Privilegio motivum, cujus tenor est. Silentio

tege-

tegere non possumus injuriam Magistri & Ordinis Prussiæ, in exigenda à Mercatoribus subditis Nostris data Funtzol, quæ licet ex Fœdere exigi à Nostris transmarinisq; mercatoribus non debebat si Prussiæ mercatores ab illa solvi quoquo modo contigisset, continuata tamen fuit pluribus Annis hujusmodi in Nostris transmarinisq; mercatoribus exactio, Prussiæ mercatoribus illius obtinentibus in notabili parte relaxationem. Vt autem Nostræ libertatis, æquitatis & justitiæ dexteram subjectionis eorum & Nostræ acceptationis, felicibus dante Domino primitiis sentiant in universos & quemlibet eorum effusam, & in mutatione Principum commutatam etiam & sublatam deprehendant opressionem. Datiam, quæ in vulgari Funtzol dicitur, item alia omnia Telonea in aquis & Terra, nova aut antiqua, in Terris duntaxat Prædictis Prussiæ quomodo libet constituta tollimus, abrogamus, & solutionem illorum perpetuis temporibus resoluimus; nullo unquam tempore per nos aut Successores Nostros Poloniæ REGES, ex quacunq; occasione instituendam aut imponendam.

Man-

Manſitq; immunis ab hoc onere Reſp: ad Annum 1579. per quinq; & Viginti Luſtra, donec adultis Gedanenſibus, & fortè ex occaſione turbarum circa ELECTIONES Ordinum Regni Poloniæ & ingruentium cum potentibus vicinis, non multum diſsitas bellorum cauſas ominati, abituram in deterius per diſcordiam & recidiuos continuò motus Rempublicam: occaſione inſuper favente, quod STEPHANVS REX, gravi tum Moſchovitico bello diſtineretur rurſus ſub titulo CVLAGE, callido inuento idem Teloneum introduxerunt: ne nomen antiquum Vectigalis Funtzol, ipſa apellatione offenderet, & vocabulum exoſum, invidiam & quærelas Populi provocaret. His ergo initijs rurſus Teloneum Librale quod illi Culagam vocant cum ſumma Regni mercium jactura invaleſcere cæpit; quamvis Tractatibus Portorij cum Divo Rege Stephano, Privilegio etiām Incoporationis à Caſimiro Rege Terris Pruſsiæ conceſſo, deniq; Priuilegio ab eodem Rege in Anno 1457. Civitati Gedanenſi dato ſeverè ſatis ejus introductio vetaretur.

Eam

Eam porrò CVLAGAM quæ exiguum quasi additamentum Portorij sive Phalgesdi sonat & ideò tanquam rem minoris momenti sine permissu Principis & Reipublicæ sine ullo scitu Ordinum Terrarum Prussiæ, introductã, abrogatum illud, & graue Regni Poloniæ Populo tributum Funtzol esse; usu ejus & modo exactionis per omnia cum Datia, quæ adhuc in hanc usq; diem Pilavia & Memela sub nomine Funtzol exigitur penitus cum ea tam in quantitate, quam in qualitate concordante, & eo documento palam arguente, antiquum esse Teloneum Funtzol, præter nomen nihil immutatum. Proinde sicut olim sub Magistris Ordinis stante Teloneo Funtzol, Regnicolæ Tributarij Provinciæ Prussiæ fuêre, ita ad præsens Majoribus in Prussia Civitatibus (ô dedecus! ô flagitium!) Gedano & Elbingæ universam Rempub: esse vectigalem. Hæc enim Exactio est, quâ per tot ætates & hoc ipso tempore merces Regni è Polonia venientes gravantur; quando à quolibet floreno grossus unus, hoc est ab evehendis per mare mercibus

pro

pro centum florenis Polonicis, florenos tres. & grossos decem & ab invehendis ex mari florenum unum & decem grossos Gedanensis exigit Magistratus. ideo minori, quasi in exoticas merces constituto pretio quod non nullis grandioris precij mercibus septem vel octo, interdum etiam plures floreni pro centum percipiantur. Hanc ergo (quisq; sciat) scaturiginem esse, cur Pretia Rerum in Regnum advehendarum augeantur? frumenta verò, præcipuè Regni merces, & quidquid è Dynastijs Reipub: Gedanum defluit, vilìori pretio distrahi necesse sit. ingenti à maritimis mercibus ex percepto Teloneo & è Regno venientium merciùm damno Gedanensibus lucro accedente. Sic Reipub: totius fœlo gravamine, ea Civitas & inæstimabili dispendio indies locupletatur. Ex hac occasione prædicti Telonei successu temporis incrementa, & juxta damna Reipub: prævidens CASIMIRVS prudentissimus Princeps, Pactis inter Ludovicum de Erlichausen, Magistrum Ordinis & Privilegio suo Terris Prussiæ 1466. concesso, licentiæ Majorum

in

in Prussia Civitatum obviam ijt, manifesti Privilegii verbis in constituendis propria vi, & authoritate per Magistratus Civitatum Teloneis impios ausus refutantibus: quoniam per mercatorum industriam, & rerum venalium importationem Respub. notabile accipere consveuit incrementum, statuendo decernimus & spondemus: quod nulla Telonea, Depositа, Gabellas, Foralia siue quascunq; alias censuationes locis & personis in Regno Nostro, Principatibus & Dominiis Nostris, & Regni Nostri imponemus, aut imponi permittemus tam in Terris, quam in aquis, sed tantummodo utemur impositis. At Gedanensibus postquam prima proveniissent, mox ad plura facinora accingi cæperunt: postremò ipsum scelus, alienandi à Repub: maritimi Dominii concupiverunt. Id verò quo ausu, & quam flagitiosis artibus paraverint; sub finem huius operis memorabimus.

Constituta CVLAGA, & ex prægrandi lucro, quod sexcentorum millium censu juste æstimatur, excitata libidine simili artificio opes

cumulandi; quando omnia sub incuriosis Dominis licerent. iterum novum Vectigal pro Navibus Portum Ingredientibus instituerunt: Rursus, cum ea audacia Ordinibus Regni & Provinciæ Prussiæ non animadvertentibus successisset, alio adhuc Teloneo Naues aggrauarunt: nimirũ cuilibet Naui plusquam 50. lastas exportare valenti 100. florenos majoribus Nauibus ducta proportione impositò Vectigali.

Illud verò Vectigal, quod ACCISAM vocant, quam præjudicioſum sit Proventibus Reipublicæ, quamq; reditibus Provinciæ deroget manifestum est: cum ob lucrum, quod ab exoticis Cerevisijs per Mare invectis percipit Magistratus Gedanensis: scilicet Lubecensibus, Vismarienſibus aliisq; severè autem inuecturam Cerevisiarum è Regno, aut ipsa Prussiæ Provincia, uti Mariæburgo, Pucko, Bydgoscia, cæterisq; vicinis Civitatibus prohibeat: adhibita etiam & superbo jure illicitæ confiscationis contra distrahentes ejusmodi liquores idq; non publici sed privati boni fieri ratione: nè scilicet; si è Regno aut Provincia illos liquo-

res

res propinandi licentia permitteretur, in Acciſæ ſeu Czopowe Proventu ab exoticis Cereviſis in privatos eorum uſus exigendo, tantum decederet, quantum publico Provinciæ ac Reipub ærario accederet. & quandoquidem ad Proventus Portorii pertinet, cujus redituum pars eſt: cum ſumma læſione lurium Majeſtaticorum, defraudatione Principis ærarii, centum & ultra millia per uſurpationem prædicti Telonei à Magiſtratu Gedanenſi quotannis REGIBVS Poloniæ ſubtrahuntur. Sic Acciſa genus Telonei inviſum cum extremo Fortunarum damno Vltimorum Conſumentium à Gedanenſibus inturpem quæſtum reperta, ipſo Teloneo Funtzol, & omni tributo iam gravius toleratur.

His Teloneis acceſſerunt & alia minoris momenti inſcia Repub: & ſine conſenſu illegitimè introducta, nimirum pecunia à Scapha, quæ à Navibus olim â Capitaneo Fortalicij oris Viſtulæ & Gedanenſis Artelleriæ à Navibus exigebatur: modo à Magiſtratu ipſo percipitur. Pecunia pro Libero Paſſu. Pecunia

Cameræ vinis exoticis impoſita. Donativum Circa Menſuram, quo etiam mercimonia & Reſpub: ſummè aggravatur, quando cuncta ejuſmodi onera mercibus imponantur & ita Regnicolis tanquam ultimis conſumentibus aucto pretio vendantur: è contra merces, à Dominiis Reipub: advectæ viliori pretio, ad arbitrium fermè & ocultam taxam Gedanenſium diſtrahantur, nam cum aggravare Regnicolas aſsignato in merces Teloneo non ſuſtinerent, callido invento ad fraudem verſi: mercatoribus ſuis vectigal impoſuerunt, ſpecie magis quam vi: in partem ſcilicet pretij Venditoribus Regni mercium accedente, quod Exoticarum Emptor pendere cogeretur.

Sed tranſmiſsis illicitis hiſce, & in ſummum Reipub: præjudicium introductis Teloneis: ſupereſt adhuc Vectigal maritimum Phalgeldũ, vulgò Portorium dictum, quod legitimum eſſe ſatis conſtat: cum Privilegium à Divo Sigiſmundo primo Civitati Gedanenſi ſit conceſſum. Tempore Crucigerorum tanta vel tam exactè definita iſtius exactionis non erat ratio

nec

nec civitati erat ullum desuper speciale Privilegium. solvitur autem ab omnibus mercibus per Portum invectis & evectis: similiter à Navibus omnibus Portu utentibus, idq; ad figendos palos pro conservatione profunditatis portus, scilicet à qualibet marca duo nummi, & consequenter à quolibet floreno tres nummi, secundum Ordinationem Sigismudi I: subsequente deinde tempore per Tractatus Portorii cum Rege Stephano Año 1579 facta est auctio Binumalis à qualibet Marca, pari proportione à quolibet floreno super veterem taxam alii tres nummi exigendi; qui si in universum computentur, à centum florenis solvitur florenus unus & sex nummi, cujus medietas una perpetuo Iure Regibus, altera Civitati cedit pro portus restauratione. Quamvis id ipsum privilegium, quod alio nomine Tractatus portorij vocatur, quo potissimum jus prædicti Telonei nititur, confirmatione totius Reipub: careat, ob interpositas plurimorum Regni procerum 1588. & subsequentibus Annis protestationes, quas cùiq; in Metrica Regni Promptum

est

est reperire. Hoc vectigal primus omnium ærario suo SIGISMVNDVS I. applicuit. deinde ab AVGVSTO & iterum STEPHANO Regibus melioratum auctumq; esse, modo notabiles olim Proventus ejus pari arrogantia & malignitate à Gedanensibus non modo diminutos, sed ferè penitus suppressos cerni: ut iam vix speciem Regibus, pro Teloneo solvant. Eam autem iujuriam Reditibus Regiis illatam cum nullo fuco & artibus tegere promptum habeant, confusione involuere conantur. opportunissimo quasi medio juvandi iniqua consilia sua: cum in turbido semper feliciter piscari assveverint. unde eam ob causam omnes Officiales ab Inspectione Portorii ita arcent; ut etiam Collectorem Regium S. R. Majestati Iuratum, & tempore Divi VLADISLAI IV. adhuc officio suo fungentem, amplius non admittant: idq; contra omnia Gentium & Regnorum Iura: vani homines & ob superbiam ac contumaciam recto ferè rationis usu privati: dum cæca libidine nimiæ potentiæ nihil aliud moliuntur, nisi ut Reges Poloniæ omni

jure

jure Imperij maritimi exuantur, nec constare posit (nemine informante & referente) quanta præjudicia à Peregrinis Ligeris, Mennonistis, & aliis contra Privilegia, contra Responsa Regia, Ordinationes Civitatum & etiam Reipub: jura, ultimæ denicq; Confœderationis Articulum de Mennonistis & Apostatis Arianis latum, Majestati Regum & Reipub: inferantur.

Verum adhuc nec opibus de Principum peculio raptis, non tot publicis Proventibus cũ summâ Iuris Reipub: læsione alienatis satiati, non metu ex conscientia & monito prudentiæ coerciti: quod infida potentia sit, ubi nimia est. Privilegium insuper subreptitiè (procurante id industrio, sed ob summam egestatem ad deteriora consilia prompto Cive) obtinuerunt super Bona Caduca, quo Iura Fisci alienantur à Iure Majestatis, nullo Iure nullocq; abusu inscia Repub: alienabilia, non quod de facto tali Privilegio in summa licentia indigeret Magistratus Gedanensis, sed quo nefariis flagitijs suis adversus Publica Iura aliquam speciem Iuris obtentui sumeret. nam cum ipsis prædictum

ctum Privilegium tantum ad bona Steriliter Defunctorum idq; ad bota solum annos indebitè concessum esset, ipsi etiam Bona Comissa & ex Commisso, (nimirum quando propter adulteratas merces, vel non integrâ fide Inspectoribus Portorij præsentatas, aut ob non solutum in Portu vectigal integræ Naves confiscantur) prætextu hujus Privilegii invadunt, & cum confiscatis sæpe ad aliquot centena Millia Aureorum mercibus propter defraudatum Portorium pro libitu disponunt. Postremò quasi Iuris supremi Domina Civitas Gedanensis, contra Pacta Incorporationis ab omnibus Iudicijs & causis Portuum Principem excludit omnesq; causas sine appellatione judicat, & interpositas non admiitit: & quod summũ nefas est, Appellantes carcere plectit. Id nuper accidit Civi Gedanensi Ioanni Szultke in Anno 1668. qui propter apellationem in causa maritima interpositam incarceratus fuit, & cum hoc nomine Fiscalis Terrarum Prussiæ coram metrica Regni Protestationem interposuisset, & postea etiam Elbingæ observationem Majestaticorum juri-

lurium circa Regia Portoria urſiſſet: parum abfuit, quin è feneſtra prætorij in præceps daretur, poſtquam graviſsimis probris & injuriis affectus fuiſſet. Deniq; ſub inſigni fuco Privilegiorum Contuberniis conceſſorum, contra Ordinationē Civitatis, Magiſtratus Gedanenſis ſubditis Regijs aditum ad Principem, tanquam Dominum ſuum ſupremum Directum & naturalem præcludit, & obtentis ad ſiniſtram informationem Reſcriptis (quod unicum apud Civitates Portoriales comparādæ Malæ cauſæ juſti & honeſti prætextus medium eſt) Iuribus Majeſtaticis derogant, ſuppreſſo, qui hactenꝰ receptus erat, procedendi modo (nimirum Citationibus ad Reponendū ſublatis) aliam methodum ſuæ ſuperbiæ conformem, at Regum juribus adverſam introducit. nullo jam reliquo contra intolerabilē eorum arrogantiam remedio: quam ut Capitulatio Grauaminum inter D. Stephanum & Civitatem Gedanenſem Año 1577mo. approbata & recepta ei ſervanda imponatur. Privilegia etiam & Confirmationes non ad Inſtantiam unius Partis. ut Gedanen

ſes ſummo id ſtudio jam pridem affectant non ſine grandi Principum præjudicio; ſed utraq; parte vel vocata, vel, ut ſemper moris fuit, adcitata, examinentur. & ita utraq; Parte audita cauſæ per Decretum vel Declarationem Principis terminentur. Fiſcalis deniq; Pruſsiæ interventio pro Iure Regiæ Majeſtatis ne utiquam præcludatur.

His artibus & nunquam ſatis frænata eorum flagrantiſsima ambitione nituntur Civitates Portoriales in Pruſsia ad Abſolutum Maritimũ Dominium, & quoniam tenuitatis virium ſuarũ (ſi quid aliquando incontumaces & nimium injurios à Repub: ingrueret) conſcii ſunt: Fœdera cum Hanſeaticis Civitatibus inſcia Republica, non modo Commerciorum Cauſa. verũ etiam & Defenſionis paciſcuntur. habentq; ejus cauſa continuum Hamburgæ Reſidentem magno cum Reipub: dishonore & Iurium Majeſtatis contumelioſa derogatione. dũ tam atrocia immediati ſubditi Regum, privati Cives, Municipales Civitates, contra Iura Publica Regni, ſeveriſsimas de crimine Feloniæ Leges

& in

& inviolabilia Iura Majestatis sibi licere permittunt, insciâ Republicâ, contra Iura & Recessus Terrarum Prussiæ. Neq; tantum flagitium, antiqui moris consuetudine defendere datur: quasi id Majoribus in Prussia Civitatibus sub Magistris Ordinis Crucigerorum licitum fuisset. nam id quidem sub Crucigerorũ Domino quamvis evenisse certum sit: nullas tamen Legationes, nulla inita cum externis Fædera; nisi prius consensus Magni Ordinis Magistri accessisset, notitia Statutum Prussiæ præce#sisset. Idipsum patet ex fædere circa Annum salutis 1614. ab Ordinibus Fæderatis Belgiæ & Hanseaticis aliquot Civitatibus inito quod quamvis reuera in nucleo maris Dominii Potentium injuriam ferat; ne tamen contra Regnorum jura coalitum esse videretur, specioso Titulo adornatum est nimirum quod prædictum fædus, ad nullius offensionem, sed tantum ordinatum sit, ad conservationem & libere navigationis sustentationem. cujus Fæderis in primo capite contenti meminit Seldenus: quod coniunctio hæc aut unio non debe-

at esse directa ad offensionem ullius, sed tantum ad conservationem & sustentationem liberæ navigationis Commerciorum & Mercatorum in Orientali Septemtrionalique Mari, simul ac in flumininibus omnibus & fluentis se in Orientale Septemtrionalemque mare exonerantib⁹: nec aliud hic acceptum esse debeat, ita ut respective Confœderati eorum cives & subditi jure omnium gentium & impetratis ac obtentis libertatibus, Iuribus, Privilegiis & à majobus traductis consvetudinibus in prædicto Orientali & Septemtrionali mari, usque ad capita extenso & in prædictis fluminibus, amnibus & aquis absq; impedimento vllouti & frui quæant. & mutuas promittunt operas resistendi eis, qui liberam ejusmodi impedirent navigationē in Septemtrionali illo atque Orientali mari, Baltico scilicet, & quod Daniam, Lithvaniam, Pomeraniam, aliasque Poloniæ ditiones alluit. ubi non solum libertates & jura antiquitus privatim concessa, verum etiam ipsum omnium lus Gentium obtendi videmus. Quo spectaret fœdus illud, difficile non est conjectare, nam

sub

sub id tempus, in mari Baltico Vectigalia auxerat Rex Daniæ, & in Territoriis suis marinis itidem Rex Poloniæ. idq; ratione quo fruebātur Dominij cui reluctari visum est, adhunc modum Hanseaticorum & Federatorum Ordinum illud fædus. Sic illi dum subdolè propalā Iura Gentium obtendebant ac velut in tutelam eorum conspirabant, eâdem facie oppugnando jura Regnorum in quorum vltionem consenserant, violabant. huic nefario Fæderi tacitis suffragiis subscripsit inscio Populo Gedanensis Magistratus. Nimirum quam longè à legum & Majestatis reverentia abeunt urbes tam procul, ob amorem potentiæ, à fide distant & Patriæ separantur charitate. Tam periculosi in Repub: disordinis, si non ratio & prudentia Civilis Administrationis Magistra saltem vis doloris & sensus malorum monere & instruere possent (quamvis non diffitear ita ineptis Comitialibus & ludicris factionum distentā esse Rempub: Polonam: ut nisi alij eam rerum suarum ditionumq; supremam Dominam meminissent, ipsa oblivisceretur) Exemplo est Fædus Elbingen-

genſis Civitatis cum Iacobo Angliæ Rege, cujus ob cauſam. quanta ſenſerit Reſpub. tempore belli Svetici incommoda? quot legiones adverſus Exercitus ſuos ſub Ducibus Hamiltonio & Flectwotio ſubmiſſos viderit? majus ex ſilentio publicæ honeſtatis lucrum eſt.

Vnicum tamen adhuc Gedanenſium, ſed certiſsimum hoſtilis pæne animi in Rempub: documentum præterire non poſſum. Vbiq; Gedanenſes nimium in crementi potentiæ ſuæ ſollicitõs Privilegiũ Sigillationis Pannorũ (ſpreta Regni Lege de privilegijs ſuper Privilegia non obtinendis, ſed magis poſt habita æqui & juſti ratione) quamvis id ſcirent iam antea conceſſum eſſe Civitati Elbingenſi, in præjudicium tamen vicinæ & amicæ Vrbis pro ſe impetraſſe. Vtilitas in publicum manifeſta ex Officio Sigillationis promanabat, cũ per Conſtitutionem Regni 1561. antiquitus ordinatum eſſet: ne ex Anglia aut Hollandia cæteriſq; Provinciis Ditionibus Reipub: Panni inveherẽtur; niſi prælo preſsi & iuſtæ bonitatis. Statim Gedanenſis Magiſtratꝰ ad lucra properus. nec dũ

obren-

obtento Privilegio, constituerant; ut à Sigillatione certorum Panni Voluminum solveret Mercator florenos duos, tres, aliquando & quatuor, ex valore & pretio Pannorum ducta census proportione. Hunc itaque Proventum sibi à Vladislao IV. ut modicum donari petebant, obtinuissentq; nisi Cancellarius Regni Ossolinski. Vir sagax & publica negotia semper in numerato habens advertisset; reditum ex Sigillatione Pannorum sota Millium summam excedere. Vnde commodorum Regiorum tenax, & diminutionis Proventuum ad Iura Maiestatica spectantium hostis Privilegium illud, Regni Sigillo munire recusavit. Illi superbiæ suæ pervicaces, invidia etiam & odio stimulante; ne is Proventus Regum ærario accederet intermiserunt Officium Sigillationis. Hinc notorium damnum in publicum ex invectione & diffractione Pannorum, bonitate suâ pretio non correspondentium; detractio Proventuum ad Regalia Principum Iura pertinentium.

Ea vero in publicum Fæda præiudicia, non modo Viris Status Equestris per sensum injuriarum

riarum satis nota, sed eodem oppressionis & intolerabilium gravaminum aculeo ad Populares quoq; penetrante, auditæ sunt Communitatis Gedanensis Anno 1670mo 27 Mensis Septembris etiam per Protestationes intimatæ contra Magistratum querelæ, quod nimirum (verba sunt Manifestationis) Privilegiũ à modo Regnante S. R. Majestate clemẽtissime Nobis confirmatum, Magistratũ disputabile facit. Quod quando aliqui ex contubernijs Opificum Ius municipale petunt, Magistratus Consularis ipsis illud penitus denegat. Quando aliqui ex Contubernijs Opificum mercaturam secundũ Privilegium Nobis concessum exercere volunt, à Iudicio Censurario mulcta afficiuntur. contra Mennonistis, Constitutionibus Regni hic degere prohibitis varia Opificia & mercimonia exercere permittunt. Petunt ut Accisæ abrogentur. Quamvis vigore Privilegij, d &is 4. Contuberniis Capitalibus quintum suffragium à S. R. Majestate clementissimè concessum sit; nihilominus 4. Contubernia Capitalia ad ferendum ejusmodi suffragium non admittuntur.

Exi-

Ex istis porro Præmissis adeo luculenter patet, ut etiam cæcus in scirpo nodum invenire possit: quod Gedanensis Magistratus per iniquissimas Vsurpationes Majorum Minorumq; Regalium ad Absolutum Maris Baltici Dominium aspiret, & fere iam ipso potiatur: ereptis Reipub: non modo Iuribus Majestaticis, sed occupatis etiam & à Possessione Reip: subtractis locis præcipuis commoditate portus gaudentibus: ut sunt Insula Hele, quamvis illis tot Pactis, etiam ipso Privilegio super Helam ad tempus concesso, nullam littoris maritimi partem permissum sit attrectare, vetitum omninò possidere: ne occasio illis daretur, nociva Reipub: Iuribus affectandi. Sed illi id se viâ Iuris assecutos primum apud peritos rerum excusant, coram ignaris etiã jactabundi gloriantur: scilicet per Rescripta & Privilegia Principũ, quasi ignari non modo fundamentalium Legum Regni Poloniæ, quarũ vi Princeps comunicativam Majestatis & Iurium Majestaticorum cũ Ordinibus Regni habeat potestatem, sed etiam ultro nescire cupientes Iura omnium Gentium

& ſcitum illud Iuris Conſultorum effatum: Principem cum omnia poſſit; res tamen Imperij abalienare non poſſe. Vnde nihil illis ad illicita acquiri potuiſſe certum eſt, neq; per Reſcripta neq; per Privilegia à Regibus Poloniæ cum derogatione Iurium Majeſtatis extradita. Nemo enim plus Iuris poteſtatiſuè in alium conferre poteſt; quam ipſe habet. Neq; illos quidquam calidum inuentum iuvare poteſt ad aſſequendum iuſti & æqui titulum ſuper exorbitantia flagitia. Nam quorſum illæ artes, nonne fraudes ſunt? inſertio nimirum inter Pacta Conventa Iurium ſuorum: quemadmodum ſub electionem Michàélis Regis machinationis eorum extant veſtigia. iam circa juramentum Delegato Principis ſuper ſubiectionem præſtando tergiverſationes, indubitata contumaciæ indicia: niſi illis omnia Privilegia & quidquid ſub titulo Vſus & Conſvetudinis veniret (vitá mores, abuſus & flagitia vſus & conſvetudinis honeſto vocabulo appellantes) vani homines nec numinis nec principis iram reveriti, cum Iurejurando Regis flagitioſè colluden-

ludentes; quamuis optimè nossent: Regem in ijsdem Pactis Conventis super Articulum de Restituendis in Integrum Iuribus Majestaticis Religionē Iurisjurandi deposuisse. Nam quod ab origine ipsa Terra Pomeraniæ cum Dominio Maris ad Regnum Poloniæ pertinuerit, neq; id, quod concedi non poterat, ulli unquam permissum, testantur expressa Tractatus cum Ctucigeris verba 1466ti. Anni: Item tota Terra Pomeraniæ circa antiquos terminos suos, cum universis castris, Civitatibus & Oppidis munitionibus in ea consistentib⁹ videlicet Gdansk, Hela cum Fluviis Aquis, Mari & Piscaturis, quæ sunt in cauda Maris alias Hab, Villis, Portubus, Insulis & pertinentiis universis, & Dominio Vniversali, Directo & utili, mero & mixto, ad Nos & Regnum Nostrum Poloniæ Pertinebunt & spectabunt, pertinereq; & spectare debebunt. Iam verò per omnium Teloneorum perceptionem Propriâ authoritate & libidine, constitutionem Nouorum, vel reinductionem per Leges abrogatorum vectigaliū, deniq; per alienationem Iurisdictionis à Re-

gibus in cauſis Portorii: an non & ipſum Dominium Maritimum ad Gedanenſes, contra omnia Iura Gentium translatum ſit: cum tamen Maiora Regalia, non tantum à priuatis, ſed ne à Magiſtratibus quidem, non ab ipſis Exercituum Ducibus, flagrante licet bello ſine conſenſu Principis uſurpari poſſe. Docet idipſum egregia Hollandiæ Statuum Politia, & modeſtò è vicinia exemplo ſuperbiã & gravem Regno Gedanenſium aggravat immodeſtiam. Quamvis enim Provinciæ Belgarum abſoluto gaudeant Statu libertatis: nihilominus tamen non modo Iuriſdictionem maritimam, ſed ne Ius quidem exigendi Telonei ſolis Civitatibus etiam validiſsimis concedunt: quoniam omnia ad Status & Ordines referri moris eſt: ubi cuncta quæ ſunt Publici Iuris decidi ac terminari ad utilitatem publicam & exiſtimationem Reipubl: ex Iure Gentium æqvum eſſe arbitrantur. Proinde firmiter tenendum eſt Poloniæ Reges, nec Dominium, nec Proventus maritimos unquam alienaſſe, nec quod obſtante privilegio incorporationis, in eorum pote-

ſtate

ſtate non erat, Civitatibus concedere potuiſſe. Porrò rem per ſe ſatis evidentem, ipſorum Regum magis in aprico ponunt teſtimonia, prout patet ex Inſtructione & Informatione Sigiſmũdi Auguſti ad omnes totius Regni & Pruſsiæ conventus Anno 1562. miſsis cuius copia extat in Metrica Regni. Deducitur quoq; idipſum ex Conſtitutionibus Terrarum Pruſsiæ per Legem Publicam aprobatis. Ex Informatione Diuo Henrico Valeſio, à STANISLAO Karnkouio Epiſcopo, & Terrarum Pruſsiæ Senatore porrecta. Pactis inter Henricum Valeſium, & Rempub: Conventis. Tractatibus publicis Articulis inter Stephanum Regem, & Civitatem Gedanenſem conſtitutis. Iam verò irrealitatem Telonei Funtzol, quod ſub nomine Culagæ illicito modo exigitur, multa refutant: ſed potiſsimum Privilegium Culmenſe, cui à Crucigeris Provinciæ conceſſo, è diametro repugnat. Similiter & Privilegio Incorporationis quod abrogationem plenariam huius Telonei continet Pacta Pacis perpetuæ, cum Magiſtro Ordinis Crucigerorum, & Rempub: Regesque

Polo-

Poloniæ inita Privilegium CASIMIRIANVM Anno 1476. Terris Prusiæ Mariæburgi datum. Pacta Pacis perpetuæ & Fæudalia cum Duce Prusiæ, Anno 1525. constituta. Ne quidquam iniquitati Gedanensium suffragari posse, rationem ex Privilegio eorum desumptam: nimirum quod Privilegium Gedanensi Civitati, primum in Anno 1457. tertiò post incorporationem Anno concessum, Privilegio Incorporationis Terrarum Prusiæ Posterius sit. cum præter superius allata etiam ipsa realitas Privilegij Gedanensibus in Anno 1457. concessi eorum panurgiam refutet. quandoquidem non Telonea, sed Collectas tantum Civicas, idq; citra omnem oppressionem Civium, Magistratui permissas esse constat nullo tum temporis Culagæ usu existente, cum primum Anno 1579 à magistratu Gedanensi dolo bono sive utili fraude non consulta Repub: non requisitis Ordinibus terrarum Prusiæ introducta sit. Necq; illud speciosum comentum ad excusandas excusationes inpeccatis sufficere potest: quod prædictum Teloneum à Civibus Tantum Solvatur

vatur cum enim mercibus imponatur & à mercibus pendatur, eædem verò merces Regnicolis cariori pretio vendantur, quid aliud in re esse? nisi quod antiquo oneri Funtzoll, leniori addito nomine Culagæ, recens ludibrium & per tantam Annorum seriem adiecta sit gravis vexa Nobilitatis.

Quare obviolata Iura Gentium & Civilia Iuremerito conveniri deberet Gedanensis Magistratus ratione Legis juliæ de vi Publica, & Legis Iuliæ, Majestatis. Sed id vix unquam eventurum sperari posse; nisi converso præsenti rerum Statu. quod omnem Reipub: potestatem & agendi activitatem, venales animæ lucrifactis corrumpant contradictionibus. Festinat nihilominus tamen venire tempora, quibus iniquitas ejus & insolens nimiæ potentiæ cupiditas, quâ Provinciam & Nobilitatem tempore belli aggravando, & medio Redituũ, bono jure Regno & provinciæ debitorum, Capitaneatus sibi & tot Tenutas acquirendo, nihil magis agit: quam ut comparato Domino maritimo, Proventibus, Portubus & locis ad oram

Maris

Maris Nobiliſsimis, Civitatum Hollandicarum more prædominari aliquando Provinciæ poſſit: explebit luctu & ſuo funere nulli ſperatam Cataſtrophen. Mitiora itaq; ad præſens & uſitata Reipub: remedia convenirent: ut quoniã Culagam ita abrogatam eſſe conſtat, ut inſcijs Regni & Provinciæ Ordinibus introduci nulla ſpecie aut colore juris potuerit: ſi Pacta Conventa de juribus Regiis & Regalibus, Conſtitutiones 1569. & de Bonis nullo Iure receptis reaſſumantur, Receſſus Terrarum Pruſsiæ in Annis 1447. & 1446. & 1476. producantur. His verò in Comitijs productis, ea quæ contra Iura Publica ſine ſcitu Reipub: introducta ſunt Privilegia, caſſentur. de quibus vi Pactorum publicorum, Anno 1577. initorum: in Comitiis publicis, in præſentia omnium Ordinum Regni (ut ipſa verba Pactorum clarè ſonant) cognitio fiat. Vel ſi prædictum Vectigal retinere expedierit, ſaluberrimo prorſus Inſtituto Directo Domino, & Provinciæ reſtituendum eſſe: ut conſvetudine & more ſub Magiſtris Crucigerorum uſitato, duæ Principi Partes Telonei

ſolvan-

solvantur, tertia publicis Provinciæ cedat necessitatibus commissa tam Culagæ, quam portorij Inspectione, alicui Viro è Nobilitate animo & opibus illustri, qui voce in Conventibus Terrarũ Prussiæ, informatione apud Principem Iura Majestatis tueretur, addito in partem curarum Fiscali Terrarum Prussiæ. Nam ad eam operam inquilinos Civitatis prorsus inutiles esse, docet Barkmannus suo exemplo ob indebitè nuper administratum Officium inspectionis, sub Casimiro Rege Commissoriali judicio, ad centum millia in peculatus crimine condemnat⁹. Minutij in hoc casu egregij Consulis Romanorum affectus in Patriam, & vox generosa Consules Gedanenses ad paria deberet animare: Privatis rebus publicæ fortunæ litari debere, quia publicis amissis, tua ne quidquam ferues. Quandocunq; enim uastum hoc Imperij Sarmatici corpus concidere eveniret, ditem hanc & imbellem Provinciam victori proculdubio in prædam cessuram. At si contumax animus omninò arma irritaverit, hic tamé furor, ea stultitia minoribus consilijs delegan-

da. cum insigne adhuc còércendi, si una Civitas turbet, supperat Reipub: remedium: Erectio scilicet Novi Portus, quos Respub: binos habet in Prussia commodissimos; unum sub Pucensi Fortalitio, vulgò à Vladislao IV. Vladislavia appellatum, alterum inter Districtum Szarpaviensem, & Elbingam situatum, quem Gedanenses magno olim labore & sumptu, loci commoditatem jam tum suspicientes metuentesq; obstruxerunt, non modo in Rempublicam, sed sæpè in ipsam naturam injurii: quasi iniquum opus ejus esset, quod utilitati eorum & usibus rèpugnaret.

In describendis tot tantisq; publicis damnis, ab una Civitate Reipub: illatis, his indecoris continuò tenore fluentibus attenuata scribentis alacritas, requiem postulabat: cum ingentes adhuc injuriæ calamum subeuntes, fidem in Rempub: exigerent, obsequium referentis postularent. Itaq; de alienatione adhuc nullo Jure Districtº Szarpaviensis cum summo bonorum Mensæ Regiæ, & patrimonij Reipub: dispendio dicendum est. Szarpawia Oeconemiæ

Ma-

Mariæburgenſis Pars Portui Antiquo, & adhuc facilè reparabili vicina, continet latericios inſigneſq; Pagos XIV. Fluvios 2. omnes ferè navigabiles. Temporibus Crucigerorum ad Magiſtrum Ordinis pertinebat, & Officium Piſcaturæ fuit. Poſtea tempore Incorporationis hic quoq; Diſtrictus Oeconomiæ Mariæburgenſi incorporatus eſt. id luculenter patet ex Pactis cũ Crucigeris, Año 1466. firmatis quorum tenor eſt: item ex certis bonis reſpectibus Nos moventibus & pro præſentis Pacis ſtabilimento Caſtrũ, & Civitas Mariæburgi cum duabus Inſulis, magna videlicet & altera parva, quæ dicitur Fiſchenwieſenverder, & cum integritate lacus Drauſen, & ſuis omnibus Piſcaturis, Piſcatoribus & villis, & cum Diſtrictu Scharphau & omnibus alijs attinentijs & Villis ſuis ſuis &c. & quibuſcunq; alijs pertinentiis ad dictum Caſtrum noſtrum Mariæburg pertinebunt.

Demum in Año 1505. Alexander Rex nimius diſtrahendo Reipub: Patrimonio, prædictum Diſtrictum Epiſcopo Varmienſi Lucæ Wayſelroth, conceſsit, cui conceſsioni Civitas Ge-

danensis omnibus viribus, tam in Conventibus Terrarum Prussiæ, quam etiã in Aula Regia se opposuit. & est adhuc ad manus oratio Georgij Mandt, Consulis Gedanensis ad Regem habita, qua nullitatem hujus Donationis sufficienter detulit. Cum autem memorato Lucæ Episcopo Mauricius Ferberus, Gedanensis Civis Filius, in Episcopatum Varmiensem succesisset, vidisseq; Donationes Divi Alexandri per Constitutiones Alexandrianas cassari, cum Civitate Gedanensi transegit, vendito ei Districtu pro exigua sumã; scilicet quindecim millibus marcarum Pruthenicalium levioris monetæ. Adjectis nihilominus conditionibus, & expressis Reservatis. nimirũ ut Civitas Gedanensis omnia Servitia, Contributiones, Datias, Agrarias labores Szarwarki dictos, cum onere Solutionis Quartæ, & expeditionum bellicarum Regno reservatis. omnia deniq; alia onera præstare deberet, quæ ab alijs Bonis Regiis aut Oeconomicis subditis Regib⁹ aut Reipub: debentur. Exceptis insuper 60. Navibus Keutelarijss anguillarum & libertatibus ad Ke-

utela-

utelariam pertinentibus. Qua alienatione facta in Anno 1530. contradictum quidem est à Gema Palatino & aliis non nullis, sed nihil effectum: nisi quod Donatarius Zalinski, Lectistrator Regius corruptus à Civitate Gedanensi largitionibus, causam deseruerit. Perpendens itaq; Civitas Gedanensis, secundam hanc alienationem à Regibus & Repub: tolerari, & Constitutiones Regni contra Alienationes Alexandrianas latas speciem magis, quã vim sancitorum retinere, insolenter se gerere cæpit, bona memorata in hæreditatẽ suam vertere, utq; fraudulenta consilia malignitati melius succederent: Quartam & Agrarias ex Districtu Szarpavienſi, ad ærarium Reipub: inferri debitas, primo recusare soluere, dein cum à Notario Quartæ urgerẽtur, corruptionibus agere: onera etiam alia & servitia, ac expeditiones militares ne præstare cogerentur, apud Proceres Prussiæ; ut cuiq; plurimum fidebant metuebantuè, solitis artibus efficere; ut tanta flagitia in favorem eorum silentio tegerentur. Ad extremum ob tam graves abusus conventa

est

est Civitas Gedanensis, in Año 1569. ad Instantiam Instigatoris Regni Anselmi Szyrcki, ex Delatione Fiscalis Prussiæ Simonis Brunszwig, stetitq; Decretum, & Decreti confirmatio obtēta est in Anno sequenti 1570. cujus tenor est: Ex ijsdē rationibus bona ista Neryngæ Insulana tota cum Villis & alijs suis omnibus attinentijs & pertinentiis, nihil excipiendo, Mensæ Regiæ Nostræ adjudicavimus, quemadmodum quoq; adjudicamus præsentibus, atq; citatos Gedanenses, iam ex nunc cedere, & in effectu Possionē tradere decernim⁹. jamq; ex nunc deputamus cubicularium Nostrum, qui bona ista omnia cū attinentiis & pertinentiis omnibus, Villis, Iuribus universis sumat Mensæque Nostræ tradat. sub vadio quadraginta millium aureorum pro Fisco Nostro. Citati & Iure victi, inquantūm præmissa intromissionemq; pacificam denegaverint, per Instigatorem ad id exigendi. Vbi vero citati se opponentes rei Iudicatæ, Intromissionemq; cum possessione negaverint, dimittimus causam istā & rem Iudicatā ad Palatinum, tanquā brachium Regale

No-

Noſtrum pro facienda Executione. Cum verò Reſtitutio prædicti Diſtrictus non eſſet ſubſecuta, adventum eſt ad ſeditionem, quam Stephanus Rex, & plurimas alias in Majeſtatem ſuam exorbitantias armis ultus eſt. dein inſecuta inter Regem & Civitatem Gedanenſem compoſitione, medio quod ſequitur, cauſam ſopitam eſſe: ſcilicet cum in Anno 1577mo circa Tractatum cum Gedanenſibus Articulus de Bonis Terreſtribus Nullo Iure Receptis incideret, ut hoc quoq; negotium implicitè dicto Articulo involutum contineretur. ſalvo manente Decreto ſuper Gedanenſes lato. Sed cum hæc quæſtio ejusq; deciſio ad Comitia Regni ab omnibus Reipub: Ordinibus pro deciſione remiſſa eſſet. adverterunt Gedanenſes, ſeſe quoad Punctum Diſtrictus memorati nihil in Comitiis effecturos: apud Rẽgem precibus & donis egerunt in Anno 1585. ut hic Articulus eorum Privilegio Portorii inſereretur. obtinueruntq; flagitiosè rem. Tractatibus Publicis & Iuribus Regni Fideiq; illorum ac honeſtati è diametro contrariam. Prædicti autem

tem Articuli Privilegio Portorii inserti hæc facies est: Ad Possessiones Civitatis quod attinet, intelligimus D. Casimiri Regis beneficio pleraſq; ad Civitatem pertinere. Itaq; cũ hæc Privilegia ejus generis sint, ut nullam omnino dubitationem habeant, clementer sanè etiam Nostra authoritate illa confirmamꝰ; atq;, ut in perpetuum ea Civitas quemadmodum antehac possedit, eo quo qui optimo Iure possident, possideat teneatq; consentimus. Præter has, quas vel à posterioribus Regibus vel privato Emptionis aut permutationis titulo Civitas habeat. in quibus dubitationis aliquid sit, quas exiguas esse (quod negatur) Nobis indicatum est, & si diverso Iure (nam Colonario Iure vendita sunt cum oneribus) à Civitate possideantur, eandem tamen rationem illarum esse judicamus, ut non modo ex dignitate, sed etiam usu communis Reipub: arbitremur, quo ea penes Civitatem perpetuo permaneant. Itaq; quantum in Nobis (salvis Iuribus Reipub:) non modo ipsi in eo Iure Civitatem non turbabimus, sed si quid est, quod obii-

obijci contra id posſit, ad id in Publico Regni Conventu Tollendum clementiam operamq; Nostram Civitati deferimus, ut de ijs Comitiorum quoq; authoritate Civitati Caveatur. Id verò à Civitate seu diffidentia obtinendi illicita, seu solito contemptu Reipublicæ, adversus quam satis perpetratum artibus suis sciebant fidebantq;, si contra Iura Reipub: quemcunq; Iuris quæsiti colorem prætendere ac apponere possent. nunquam enim postea de hac alienatione in Comitiis actum. imò statim hoc eodem Anno, testante Metrica Regni Episcopus Cujavienſis, metu ne Iura Romanæ Ecclesiæ, si bona in Districtu Szarpavienſi situata, nempe Tygenhort & Berendthagen cum insignibus Catholicæ Religioni ab æuo destinatis templis sub tam vastis & potentibus possessoribus periclitarentur; solennem Interposuit Protestationem.

Quare ex Tractatu cum Magistro Ordinis Anno 1466to. quorum vi Tractatuum quotannis schedulæ super Keutelaria obtinendæ sub Sigillis Divi Sigismundi Augusti extradeban-

tur, tum Decretis in Metrica Regni extantibus, Pactis Gedanenſium: in quibus Remiſsio hujus cauſæ ad Comitia Generalia ſepoſita. Cũ tam ratione Privilegiorum Originalium, quam Bonorum Terreſtrium, & quæcunq; Principaliora à Gedanenſibus poſsidentur, eorum omnium cognitio ad Regni Comitia pertineat. vigore enim Statuti Alexandrini à quo Nobilitas abſoluta eſt, per Conſtitutionem Añi 1568. Ciuitates vero per Pacificationem cum D. Rege Stephano Año 1585 obligatas eſſe ut in Conventu Regni & facie Reipub: ratione Bonorũ Terreſtrium & aliorum negotiorum in Actu Pacificationis ſpecificatorum reddant rationẽ. Talis Divi Stephani & Sigiſmundi III. Regũ in cauſa Elbingenſium Declaratio ſubſecuta eſt. Deniq; ex Privilegio decantato illo Tractatus Portorij pomposè appellato in quo tamen nulla horum Bonorum Conceſsio aut Confirmatio, ſed ſponſio tantum facta de interceſsione apud Ordines Regni ſi id à Repub: peterent, interponenda) clarè ac demonſtrativè deducitur, non modo ambiguitas ad præfatum Di-

ſtri-

strictum Szharphau, sed ipsa nullitas Iuris manifestæ subnixa irrealitati.

Privilegium quoq; super Helam ad tempus tantum Gedanensibus concessum. quo simul sæverè prohibebantur; ne unquam aliquam littoris partem sine scitu & consensu Principis præsumerent usurpare. Illi jus temporarium, solitis vaframentis in obligationem perpetuitatis vertêre, nullo metu Præsentium nec futurorum Principum, cujus sceleris ultor erit, quisquis vel absolutus, vel non distractus externis curis ad ordinandã Rempub: Boni Publici amans, ad vindicanda Iura Majestatis intentus, quandoq; successerit.

Ad extremum reticere nefas est grave Nobilitati, contumelioſum Reip:, arrogans in Principes Gedanensis superbiæ flagitium: Nobiles ob quemcunq; criminosum excessum captivandi & ultimo supplicio afficiendi. Cum non Regibus ea potestas non summis Magistratibus authoritas sit. imò fundamentale Regnilus: nullum Nobilem captivare permittit; nisi jure victum. Gedanenses sæpè ex despecta Po-

puli fæce ad Magistratum provecti, & nihilominus nihil aliud, nisi Cives Famati, ut animalium cruorem, bovum vel caprarum fibris assveti Laniones, ita Nobilitarem sangvinem; præsertim in Repub: tanto libertatis subnixa fastigio, tot prærogativis ornatum, tot immunitatibus illustrem despectui ducunt. nen contenti perfida Vsurpatione Summi juris etiam violentiam sceleri toties adjecerunt, quando Ianikowski Nobilem sub tempus præteriti Svetici belli domesticâ securitate fretum per suos apparitores invaserunt & mactare demãdarũt, Homantowscium extra Pomarium Civitatis captum supplicio affecerunt. Novissimè Pobloccium in Anno 1675to. Nobilem Pruthenum, spretis Palatinatuum Terrarum Prussiæ ad Acta interpositis Protestationib⁹, Carnificis manu in illo Olitorio Foro suo trucidarunt, deductis velut ad pompam superbi sceleris ex Minda præsidiarijs cohortibus strepentibus timpanis & expansis vexillis, quasi triumphum de immunitatibus Nobilitaris status agentes, lasciviebant. cumq; postea Año sequenti 1676to. in-

in Conventu Terrarum Prussiæ ante Comitia Coronationis tertia Ianuarij celebrato vigore Instructionum à Nuntijs Palatinatuum acriter de jure captivandi Nobiles, & affectata toties impiè jurisdictione criminali requirerentur: præter contumelias in Rempub:, & lus Culmēse (quod Nobilitas Terrarum Prussiæ tempore Incorporationis non suscepit) & insipidam allegationem juris Saxonici, vanas & impertinentes excusationes magnâ superbiâ sed & rubore adduxêre. Krokowski infelix Nobilis erat in cujus vitam, sinistra luris Culmensis interpretatione addicti, sangvinarias primum manus extenderunt. qui tamen Abusus Gedanensium quos falsis Privilegiorum aut juris nominibus insigniunt, si trutina Karnkovianâ examinentur, pateret illorum ingens Legum publicarum circumventio, & superba ac truculenta juris usurpatio. Postremò ex Declarationibus D. Stephani & Sigismundi Ill. Regum manifestum fieret; quod ratione fraudis Fundamentalibus Regni legibus illatæ in Comitijs Regni rationem reddere teneantur. Tantū igitur

igitur maleficium, nonne graue est, urbanam Plebem supra Principes scandere? quam etiam ipsis Regibus periculosum, tantam licentiam tolerare impunitam, cum ejusmodi vastæ superbiæ ausibus inviolabiles Rustici ad contumaciam levissimis quibusq; momentis erga Principes suos ac Dominos impellantur. Atrox hujus politicæ adversionis documentum est, violata ferè à Bonis Gedanensibus Sigismundi Tertij Majestas.

Huic tam grandi sed nimiâ corruptæ licentiâ Gedanensium felicitati, & quia summis eodem loco stare diu negatum est, fata magnum obicem posuêre. nam ut potentiam euerterent, ad iniquitatem eos temporum perduxerunt; ut consilia corrumperent, discordiam intulerunt. & quia dissensionum in populo clades, potissimum fomento obtentus in Religione peragunt, erupit hoc malum ab ægydio Sztrauchio, Sacrorum apud ipsos prudenti Ministro quem cum ob gratas plebi concines, aduersas sibi, Magistratus ab officio vellet removere, Populo restitit; cujus contumaciam male consultus Magistra-

gistratus superbiâ suâ & petitorum Populi vilipendio irritavit, donec aucto certamine, adolevit discordia, erupitq; obsessus in Curia à Populo Magistratus, & præcipites impetus extrema minabantur. hinc in miserâ Civitate publicorum privatorumq; negotiorum maxima magnis peragebantur tumultibus aures quoq; Magni Regis Ioannis III. continuis quærelis pulsabantur. Itaq; sapientissimus Princeps & gubernandi peritus gnarus, quantum ex unius urbis discordia in Terras Prussiæ mali aut in Rempub: incomodi promanare posset, Gedanum prima Augusti, nactus à bellis otium, venit, & dimidij anni consumpto per varia negotia tempore, dato etiam amicis consilijs spatio, intermissa consultò Iudicia, & rursus convocato Senatu reasumpta; ut metu judiciorum facilius ad concordiam Partes invitarentur. Sed postquam clementia Principis apud contumacem Magistratus animum multis documentis parum profeciisse deprehensa est. tulit tandem Princeps Decretum Anno Salutis 1678. 25. Ianuarij quo fulmine, etsi apex illorum

rum superbiæ debilitatus est intacti tamen mansêre poli quibus potentia eorum malis artibus quæsita sufflaminabatur. Puncta memorati Decreti, ut luculentius constent, nil oberit ea hoc loco referre. Primum itaque calamum subijt, inter communitatem & Magistratum.

DE APPELLATIONIBVS.

DEcretum de Appellationibus 1564. latum confirmatur, & quod jurisdictiones Civitatis Gedanensis, in causis civilibus ad florenos mille currentis in Regno monetæ, Appellationes admittant decernitur. Terminum à data Decretorum, non ab extraditione Actorum trium mensium in judicio Regio comparendi assignando, utq; tam ordinariè quam extraordinarie appellantibus, sine ulla tergiversatione Acta extradant. Decreta & documenta Partibus in Originali restituant. præcipitur. causas vero recentis criminis & Executionis decretorum S. R. Majestatis, dummodo excessus non committatur, sine ulla appellatione summariè decidant, determinent. Quantum vero attinet Nobiles ratione recentis criminis in Civitate & suburbijs civilibus captos, tales judicent, inquisitiones faciant, nihilominus sententiam suam non exequantur contra ipsos sed inquisitiones in oclusso rotulo ad S. R. Majestatem remittant, statuitur: Declarationem S. R. Majestatis exspectent, ordinatur. Quoad vero Nobiles in bonis Patrimonialibus in recenti crimine captos, tales ad Castrum Skarszevienſe remittant, præcipitur.

Iurisdictiones vero Civiles, utpote Vice-Præsidis conservantur, sed quatenus metas suæ Iurisdictionis non excedant, demandatur.

Quantum vero attinet judicium Censorium, quatenus idem judici

dicium Appellationes in causis omnibus ad Magistratum, Magistratus vero ad Regiam Majestatem admittat, in causas vero Privilegiorum se non gerant, sed ad Regiam Majestatem admittant; decernitur.

ACCISA

QVantum attinet Accisam Siligineam, eadem tollitur. & quatenus tantum antiquam Accisam utpote florenos quatuor à Lasta Solvant Pistores, injungitur.

Quantum ad Triticeam; ad abrogandam eandem Commissarij deputantur.

Quoad Cerevisialem Tonnalem, ea ad florenos 2. à singulo vase reducitur, nihilominus quatenus eandem Accisam per florenos 3. vel 6. quoad exolutionem contributionis Capitalis totalem solvant, decernitur. post exolutionem vero contributionis capitalis eadem abrogatur, sed ad duos florenos reducitur.

CVLAGA

Rejecta Mariæburgum & deliberat.

Informationes & Literæ.

QVatenus Magistratus nullas informationes & literas statum Civitatis concernentes tam in Regno quam extra Regnum sine consensu omnium Ordinum & Seniorum Contubernialium expediat, sed quatenus cum consensu ipsorum conscribat, ac per Deputatos omnium Ordinum ac Seniorum Contuberniorum conscribi faciat; ordinatur. Et quod seniores octo Capitualium Contuberniorum locum inter centum viros & non quatuor, pariter & vota habeant; statuitur. Pariter ut Magistratus singulis mensibus Tertium Ordinem convocet, Propositiones suas faciat, prout & per tertium Ordinem dandas, semper sine ulla tergi versatione recipere mandatur.

De ea provideat Magistratus.

Ius Statutorum & Culmense.

Rejecta Mariæburgum.

Privilegia Communicanda.

QVoniam Constantinus Schreder in suo volumine jura & Privilegia omnia Civitatis Gedanensis conscripsit. ideo prævia confrontatione cum Originalibus, illud volumen approbatur, & ut Tertius ordo retineat extractus sigillatos, ipsos petentibus extradat decernitur.

Iuramentum Burgrabij

QVoniam jurat juxta præscriptam rotam in Statuto ideo, incompetens actio nihilominus quatenus idem Burgrabius uti Brachium S. R. Majestatis in causis ad suam Iurisdictionem quidquam cum Magistratu conferat, aut ab eo dependeat, sed semper, dum necessitas postulaverit. ad S. R. Majestatem recurrat, secusq; sub pœna privationis faciat.

Syndicus, Secretarius Colonellus Civitatis ac Alij Officiales Iurent S. R. Majestati.

ET ne se Secretarij in causis privatorum civium interessent, præter has ad quas ab omnibus Ordinibus Instructionem habuerint. Tum ne Magistratus ullas lites alicui sine consensu Ordinum intentet & instituat, statuitur.

Diminutio Secretariorum.

Rejecta Mariæburgum.

Colonellus & alienigena Syndicus.

NEC Magistratus illos Colonellos & Syndicos vocet & constituat sine scitu Regio.

Iuramenta Calumniæ.

NE eadem ipsemet Magistratus obtrudat, statuitur: & delata non nisi in causis èvidentibus admittat.

Emptio In Curribus.

LIberum unicuiq; civi, dummodo non evehatur extra Civitatem ad molendinum.

Informationes Petitæ In Alienis Academiis.

INcompetens Actio, & quoniam plurimi libri, utpote memento, Ben-Mosc &c. reperiuntur, quæ contubernialium & civium famam corrodunt, ideo ijdem cassantur. Et ne Magistratus libros contra Religionem Catholicam scriptos in hanc civitatem invehere permittat, aut imprimi faciat præcipitur, & invectos confiscet, vendentes carcere ordinatur.

Mercatores Ad Consulatum.

QVatenus Mercatores tam Catholici quam Augustani in Consulatum & Scabinatum admittantur & eligantur, decernitur.

Impositiones Super Minas Iudicum.

QVatenus Iudices se modestè gerant, litigantes non lædant, sed juxta controversias causas decidant.

Conclusorum Immutationes.

MAgistratus nec Quater-Magistri conclusiones immutent, sed prout laudantur, connotent & observent.

Militis Diminutio.

TErtia pars militiæ civilis & Mindensis minuitur & exauthoratur; & quatenus Magistratus sine scitu Regis milites non colligat, decernitur,

De Conſanguineis

PAtrem cum Filio cum Socero, Fratres Germanos ad unum Ordinem non admittat.

Von Behnhaſen.

Amoveat Magiſtratus nocivos & pœnas extendat.

De Mennoniſtis.

Rejecta Mariæburgum & cum Calvinianis, Quakieri autem proſcribuntur.

Hollandis Negotiationis Permiſsiones.

Incompetens Actio.

Granaria.

Vt repleantur frumentis Rejecta ad Ordines.

Vnio Cameræ cum Camera Phalgield.

Rejecta Mariæburgum.

Apparitorum Calumniantium

Calumnioſi puniantur Apparitores, Relegatione.

Notarij Freytag Oppreſsiones.

COndonatur pœna, nihilominus ſolvat Magiſtratus ungaricales 50. in poſterum vero Notarij Publici in Protectionem recipiuntur & jurisdictioni Regiæ adſcribuntur, & quatenus poſt mortem ipſorum Acta Fiſcali Pruſsiæ reddantur, ipſe vero eadem circa Notarium Seniorem collocet, ſtatuitur.

Mercatura Contubernalium

REjecta Mariæburgum, Tum Salaria, Electio Centum virorum, Interventio catholicorum, leſuitarũ, Bonifratellorũ &c. Rejecta. Quantum ad electionem Conſulum non ſtatuto tempore pendente

dente lite factam, ab Officijs electi Præ-Consules, Consules & Scabini suspenduntur & Rejecta Mariæburgum.

Tandem Salvus conductus & Amnestia utrinq;

Ad talia Responsa Regia, velut obicem nactus exundantis ambitionis Magistratus Gedanensis stetit quidem torrens, sed quod præcipua Gravaminum Capita, utpote Culaga, Ius Culmense, & unio Camerarum quibus potissimum Arrogantia illorum niteretur, Mariæburgum essent rejecta inter levia dispendia Acta censebant, quæ maximorum negotiorum lucro pensarentur. satisq; suis artibus perpetratum credebant; quod Principem magnanimum & rarioris Prudentiæ artibus suis & ingenio fefellissent.

ELBINGA

OLim à Balk Ordinjs Magistro Año 1237mo Conradi Mazoviæ & Swatopelci Pomeraniæ Ducum ope cæpta ædificari, sed â Pruthenis ea tempestate feris & in barbarum corruptis disjecta, iterumq ulterius infra torrentem Elbing promota ejus fundamenta. ab instabili undarum natura Nomen accepit fatali iam tum præsagio: quod sicut quondam solum, ita mentes animũq; à proprijs Dominis ad externos transferre fidemq; mutare vitium illi morum & Naturæ esse deberet. Et quamvis ex justitia Sigismundi III. Regis occasionem lubricorum Elbingenses morum traxerint (ut refert Pia-

scci-

ſecius inſignis rerum Polonarum Scriptor: Elbinga Anno 1618vo Proſcriptione Regis adacta Eccleſiam Parochialem ritui Catholico in manus Parochi Sigiſmundi Szteinſon reſtituit. ſed alta mente repoſita illa offenſa, exinde à Rege & Regno Poloniæ alienatiori animo & ad defectionem pronior eſſe cæpit) non tamen Civitati tot beneficijs Regum Poloniæ enutritæ, impinguatæ & incraſſatæ, Reipub: alumnæ honeſtum fuerit, iniquam injuriam flagitioſis ulciſci conſiliis. Vipera parturientem matrem ſemel enecat, parricidii enormitatem accepto à natura ad communis vitæ uſum neceſsitatis excuſans ſuffragio. eorum. panurgia & implacabilis malevolentia, quoties rebus Polonorum adverſis ab iniquiori fortuna ſuppeditari ſibi occaſionem advertiſſet, toties temporibus Reipub: inſidiari inter præcipua duxit emolumenta: mira ſemper ad effugium pœnarum felicitate, & inde forte inuſitata inter ipſas ſcelerum actiones ſecuritate, teſtatur idipſum ſub tempus belli Svetici impoſitum & in uſum Civitatis exactum Pontale & Schedu-

lare

lare, pro quovis equo in et egrediente nulla Nobilitaris immunitatis habita ratione. tanquam apud Confœderati Belgii Status: nemo Nobilis nisi Civis. universo penes Civitates Provinciarum Dominio. Bachmanni quoque ducentorum peditum Ductoris pij Manes vellicant memoriam, qui ad Civitatem, in cujus præsidium venerat, non admissus. in Suburbio Grubenhaugen cum universis militibus à Suecis trucidatus est. Nec ultra de animo quo sint in Rempub:, dubitandum est: sed ad flagitia & Artes, quibus Provinciæ graves, Regibus iniqui, amplissimos Proventus, ex insignibus vectigalibus Majestati Regnoq; debitos, per summam furium Majestaticorum ac Reipub: supprimunt læsionem advertendum est, ingenio fere & astu fallendi Rempub: Gedanensibus potiores, potentiâ minores. Ergo quam periculosis & enormib' præjudiciis, quam atrocibus damnis Respub: ab illis afficiatur, quanta injuria Terræ Prussiæ plectantur, quã contumelioso facinore Altricis Provinciæ Iura dehonestentur, iam, iam paucis referendum est.

Ve-

Verum ante omnia de summis circa Vectigal Portorii exorbitantiis, deinde Teloneo librali Funtzol, quod ipsi Culagam vocant, tum de Anlaga dicendum venit.

Modicis adhuc & despectis Elbingensium rebus, nulla Telonea, ne quidem Portorium tempore Crucigerorum fuisse constat. in Anno 1577. sequenti & nono prima ipsis occasio à bona fortuna oblata est stabiliendi Elbingæ Portorii ob fauorem concessionis commerciorum Anglicanæ Nationi, qui in Comitiis Regni omnium Ordinum intercedente consensu abundè monstratus est nihilominus tamen eorundem Comitiorum publico sancito solis Regibus Portorium cum omnibus luribus Fisci in Æternum Non Alienalibus reservatum est. Causa huius negotiationis cum Angliæ Regno Polonis fuerat, mora Legati ad Turcã à Republica pro obtinenda pace missi, nam cum is diu detineretur in Aula Sultani, ut scribit Piasecius: quod nimirum Turca compensationem damnorum à Cosacis illatorum & arcium finitimarum demolitionem requireret,

tan-

tandem opera Legati Anglici in illa Aula Ottomanica tunc residentis, Confirmationē Pactorum antiquorum obtinuerat: causa incursionum Maris Euxini in Pyratas, à Fluvio Tanai ex Moschovia prodeuntes rejecta & promisso, quod Cosacorum insolentiæ essent còércēdæ. Tandem Anno sequenti in Comitijs Angliæ Regis Legatus pro permittenda Anglicis mercatoribus in portu & Civitate Elbingensi commorandi libertate interceſsit, & facilè obtinuit, gratior Polonis ob navatam nuper operam Constantinopoli in confirmanda ipsis pace cum Turca. Proinde confirmato Portorio perfectoq; Elbingenses læti & occasionum nunquam segnes jamq; legitimi Telonei potentes, ad imitationem Gedanensium Culagam quoq; introduxerunt dein æmulâ arte ad usurpationem Iurium Majestaticorum & asserenda sibi Maris commoda littorisq; Dominium contenderunt. & quia tam effrons facinus obstāte Privilegio Incorporationis Terrarum Prussiæ & adversa eorum votis Erectione Portorii, habiturū difficillimè succeſsum in pace speraretur,

cum injurioſis deſiderijs ad iniqua Reipub: tẽpora verſi, ſecretis Articulis à Regno Sveciæ, ante Retraditionẽ Civitatis ſuæ in Año 1635. & alijs in Caſtro Holland & alibi obtentis Anlagam, Accizas, Sztromgeldum, cæteraſq; Datias (quibus æſtuanti commodorum ſuorum intentioni gratificarentur) Majeſtatis Iura Poloniæ Rẽgum concernentes, Reipublicæ præjudicioſas ab hoſte (ô quantũ dedecus? quam nota Cælo Terræq; injuria!) pupilla quaſi Republica, mercati ſunt. Poſtremò cum nullis artibus vim Legum publicarum, & Iurium Majeſtatis indemnitatem tranſcendere poſſent: quando tot Commiſsionibus, Ordinationibus & Receſſibus In Cauſa Portorii & Stapulæ Civitatis eorum Divos inter Poloniæ Reges Stephanum & Sigiſmundum, cum Eliſabetha Regina & Iacobi Angliæ Regis Oratoribus ac Civitate Elbingenſi, ab Año 1579. ad Añum 1611 liquido conſtaret deducereturq;: Reges Poloniæ cunctos Portus & Portorii Proventus ſibi ſolis juribusq; Majeſtaticis reſervaſſe, nihilq; omninò ex ijſdem Proventibus Civitati Elbingenſi con-

ceſsiſ-

ceſsiſſe. eligendi etiam Adminiſtratores & Inſpectores ſupremæ poteſtati ſuæ facultatem reſervaſſe. Tandem ſupremo conatu (ope Gedanenſium, quos ſummè angebat, ſi Elbingenſes in Ordinem redigerentur: ne illorum exemplo in ſuâ licentiâ periclitarentur) cum id unicè egiſſent; ut Civitati eorum per Diploma Regium aliquod interreſſe concederetur: nullam tamen aliam declarationē illos reportaſſe; quā quod Regia Majeſtas Publico Omnium Regni Ordinum In Comitiis Sancito non Poſsit Derogare.

Quod ſi enim ad occaſionēm introducti per Abuſum Portorij & illicitam uſurpationē medietatis prædicti telonei minimè reſpexeris, manifeſtè deprehendes Civitatē Elbingenſem Portorialē non eſſe, nec jus Portus habere. Sed tantum Cameram Portorialem, quam Poloniæ Reges in Portu Balgen & Pilavienſi olim habuerunt; quam non ſine gravi præjudicio & totiꝰ Reipub: damno, Electoris, vero Brandeburgici magno emolumento Año 1585. prævia Cōmiſsione translatam eſſe, cum annexo publico

omnium Regni Ordinum Reservato: Omnes Proventᵘ Portoriales Regiæ Majestati cedere & Civitatem Elbingensem sola concessione Depositorij Anglicani merciumq; ejus Regni contentam esse debere. Vnde mirum est: quod Elbingensis Civitas cum nullum super hanc exactionem Privilegium habeat, imò ab hoc Proventu totaliter excluſa sit, medietatem nihilominus Portorii sibi tribuat, eâq; arroganter fruatur, velut optimo jure & æquo ad illicita niteretur.

Gravem porro hunc errorē cum enormi ac insolitâ Regum Poloniæ Proventuum jactura ex mala negotiorum Portorii originem traxisse Administratione. Cum enim Sigismundus III. in Anno 1596. Reinholdū Heidenstein Secretarium suum Elbingam ad introspiciendas res Portorii ablegasset, admisit Regia Majestas, ut ad Portorii Administrationem Magistratus admitteretur, tenore sequentiū: In aliis rebus, quæ ad Administrationem Portorii maximè autem circa electionem Præfectorum & scribarum pertinent, quos quidem S. R. Maie-

stas

ſtas, ex Dominationibꝰ veſtris & Civitatis corpore, ſed tamen ſuo arbitratu eligere deinceps etiam cogitat minime Regia Maieſtas præſcribi ſibi vult, quominus pro ſuo arbitrio de iiſdē ſtatuere, in ijſq; tantum quantum illi videbitur mutare vel addere poſsit. Ea tamen Ordinatio diu valere apud Elbingenſes non potuit, cum partim ignorantiâ Principum Iuriū ſuorum Maieſtaticorum, aliquando quod circa ſumma Regni negotia diſtenti, minora ſine cura haberent, interdum mutuis offenſis erga officiales Portorii ad injuriam accendebantur, donec paulatim eo audaciæ provecti ſunt; ut Inſpectores Portorii à Commiſſariis S. R, Maj. impoſitos officio moverint, conſtitutis in eorū locum filiis aut nepotibus Præconſulū: poſtremo eo petulantiæ ac eruditæ nimium in ſua commoda dementiæ provecti ſunt; ut grandem ex prædicto officio quæſtum in dotem fere Filiabus Præconſulum convertere agitaverint.

Itaq; quando nihil amplius ſibi, quā ad commercia Anglicanam ſocietatem admittendi & cum eadem Natione cōmercia exercendi concedi

cedi posse adverterent, simul honestâ specie malignitatem suam tegere desperassent, ad flagitiosa consilia versi: quæ palam & composito gradu obtinere non poterant, per cuniculos & media confusionis Reipub: & Provinciæ Pruthenæ haud dubiè periculosa consequi sunt aggressi. Nam cum ministros Regios (ut dictum est) ab inspectione Portorii primo omni astu, dein audentiores facti etiam, vi impedirent, ipsi quoq; de industria reditus portorii per summum neglectum tractarent: damnosa exinde Regibus & Reipub: ansa confusionis, tandem & ipsa confusio Portorii ex Pilavia percipiendi: ex hac occasione neglecto Portorii à mercibus per Habu n Pilavienſem advectarum insecuta est. utq; magis adhuc Regalia Iura distraherent, & gravius confusionis artificio difficilem certitudinis redituum Portorii recollectionem perpetrarent, Hollandis immunitatẽ solutionis à mercibus concessẽ: quales Elbinga famosos habet Extraneos, Bagdach, Srzeder Iacobson, qui mercimonia non tantũ instar Civium exercent, sed etiam Portorium nul-

etiam

nullum ſoluunt, à Magiſtratu privata ab hoc onere authoritate exempti, à qua neceſsitate ſolvendi Portorii, nec Cives immunes nec Anglicana Natio libera eſſe poteſt. utq; artem & fraudem penitus occularent; ſub titulo illos Factorum Hollandiæ eximi voluerunt. qui quamvis Regibus nullum Iuramentũ præſtent: nihilominus tamen illis contra tenorem Privilegiorum, contra Leges Publicas de Extraneis latas, contra Receſſus & Lauda Terrarũ Pruſsiæ in Añis 1632do. & 1633tio. Sancita, Ius Civitatis, imò ſubdolo invento ſub hac ſpecie ipſum Ius Indigenatus concedunt. Hinc nec pro uſu Viſtulæ & Habi nec Portorii nomine quidquam ab ipſis ad ærarium Principis ſolvitur. Ea porrò injuria Maiorum in Pruſsia Civitatum, quã non modò Legibus Reipub: grauis, ſed etiam Fundamentalibus circa Sacrum illud nemini minorum Gentiũ impune laceſſitum Indigenatus Arcanum, (magnam illam Procerum in Pruſsia Arcanæ potentiæ ſpeciem & inane ſed religioſum in Patriam amoris ſimulacrum) verum etiam Provinciæ Pruthenæ

Iuri-

Iuribus præjudicioſa & æmulatoribus ejus apud rerum peritos contumelioſa ſit? non occultare ingenui animi indicium eſſe duxi. Solenne Incolis Terrarum Pruſsiæ eſt: velut pro Aris & Focis pro Indigenatu contra Regum Privilegia decertare; ſi quando opimiores Tenutæ aut Officia in Pruſsia meritiſsimis licet de Repub: Regnicolis conferantur. non advertentibus interim aut malè diſsimulantibus nefario Civitatum facinore continuam Iurium Indigenatus profanationē. Nam quot ex Hollandia aut Scotia oriundos numerari in Pruſsia, qui Bonorum Terreſtrium Poſſeſsione gaudēt? ad quam nemini in Pruſsia, niſi per indigenatus iura aditus. Sed en quam Nobile in eo Ciuitatum latere fraudis artificium. nam dilectos charosq; ſibi ob magnitudinem pecuniæ Externos, imprimis ad Iura Civitatis, tum per Iura Civitatis, ad Magiſtratuum Officia, poſtremò ad Indigenatum admittunt, ac vitioſa hac circuitione jura Provinciæ circumveniunt, magno circumſpectionis Ordinum Pruſsiæ in publicis negotiis & authoritatis detrimento. nā

cum

cum Externi, Regni Iuribus disponentibus, ad prærogativas nonnisi per communicationē Iurium Indigenatus admittantur: Civitates Majores concesso extraneis Civitatis Iure, cum summa ignominia Terrarum Prussiæ & illusione Status, cujus Pars sunt, Ius Publicum ac Principale Indigenatus, in Appendicem juris sui priuati vertunt. Sic Elbingēses Bona Hansdorff Iure belli à Crucigeris per Reges Poloniæ vindicata, Bodeckero ex Hollandia Episcopatu Vltrajectensi oriundo, nec alia via quam per consulatum Elbingensem Indigenatum adepto, concesserunt. Nec ita pridem Gedanenses quoq; per summam insolentiam Cornelio Creutzero ejusq; Filio pro choreis & in serum noctis continuatis epulis inter Secreta compotationis Ius Civitatis promiserunt.

Necdum tam atrocibus & damnosis Elbingenses, Gedanensis licentiæ zelotypia ducti cōtenti præjudiciis: Mennonistas Genus hominū infidelitatis in Divinam Majestatem damnatū, & è ditionibus Regni sæverissimis Legibus proscriptum introduxerunt: vendito po mune-

ribus æquo & justo & honesto. Vetantibus tantam impietatem ipsis Privilegiis Civitatibus concessis à Divis Poloniæ Regibus, tot Rescriptis & Ordinationibus Principum, ipsarum denique Civitatum Edictis: quando tanta injuria atrocem Divinæ Majestatis, Regum & Provinciæ, illius ob fædum & infidelem Sectæ ritum, horum ob defraudationem Portorii, & Vectigalium læsionē circumferret, cum Gedani & Elbingæ quilibet ferè illorum habeat Ius Stapulæ, hoc est, liberum Depositorium mercium sibi usurpet, unaque ad usum Fluviorum Navigabilium Regibus semper reservatorum, tandem & ad Ius Nundinarum ad Majora Regalia pertinentium per summam licentiam admittantur. Is verò excessus iniuriæ quam præjudicioſus sit Reipub: ac Provinciæ, potissimum ex eo patet: quod Mennonistis non tantū mercandi libertas, sed etiam Opificiorum exercitium in locis, qui Pagi antiquitus fuerunt & etiamnū sub hoc Iure comprehenduntur, conceditur: quæ facultas Capitaneis & Nobilitati vigore constitutorum interdicta est. nam his

bra-

braxatio Cereviſiæ & crematio vini aduſti à Civitatibus negatur, à Mennoniſtis (proveniente ab ipſis ad Magiſtratum infami lucro) ampliſſimè conceditur, utq; Mennoniſtæ has conceſſiones tanquam Monopolium habeant; gravis contributio vino cremato, ex Pagis Nobilium adventitio, imponitur. Neque Privilegium à Vladislao Rege Henrici Frederi Gedanenſis Syndici aſtu obtentum tot accuratis Legibus de Mennoniſtis latis fraudi eſſe poteſt; cum opera ejus Infamis eſſe demonſtratur: ob defraudatũ ſcilicet ab ipſo enormiter Theſaurum Regium, percepta eodem Anno à Mennoniſtis quadraginta millium ſumma, eadem læſione Fiſcus, & ab anteceſſoribus ejus Syndicis Gedanenſibus. jam & ante afficiebatur. ſed illi conceſſa ſibi à Magiſtratu rapina per ignaviã uſi ſunt: hic quo frueretur illicitis cum ſecuritate, fraude paratam ſibi conniventiã in notabili Principis ærarii damno pro ſumño lucro retinuit. Attamẽ hæc proſtituta contra Reges audacia, facilè vi Legum refutatur; non modo Privilegio Religionis à Sigiſmundo Auguſto

Civitatibus in Prussia concesso. Confœderatione Dissidentium Sandomirienſi. Ordinatione Divorum Poloniæ Regum Sigismundi Primi, & Sigismundi Augusti, verum etiam acerrima Lege sub eodem Principe Año 1661. de Mennonistis lata, cujus tenor est. Non vult ferre Majestas Regia in Insula Hollandos, qui non sunt Catholicæ & Orthodoxæ Religionis, & interdicit illis ditionem, quemadmodum & antea per Edictum fecit, alii vero Coloni ferent usitata onera. Sed & ipsum Privilegium Vladislai Regis, non adeò malæ causæ amicum est, qui non consonet antiquis Responsis in hoc negotio Divorũ Poloniæ Regum.

Vt verò eorum intentio altiùs occultaretur, de subtrahendo penitus & eximendo à Iuribus Majestaticis Portorio cum Fluviis Navigalib⁹ & Datiis, quæ pro Fluviis navigalibus solvuntur, item à Dominio Regum Maris Regentis Hab vulgò dicti & Keutelariæ in Habo, alienationis tentamenta modestiùs acciperentur. Postremò ne Respub: observaret, aut Regũ Majestati gravissima hæc præjudicia innotescerent:

mu-

mutuato à Gedanenſibus Stylo & audacia, omnes ſervitores Regios Civitas Elbingenſis contra Privilegia, Ordinationes & antiquas Commiſsiones ab exercitio Officiorum excludit; ipſum deniq; Fiſcalem Terrarum Pruſsiæ, Supremum Fiſci Regii in Pruſsia Cuſtodem, terrore & violentia à munere prohibet functionis. Accizæ ſub tempus belli Svetici, cum oppreſsione depauperati Populi introductæ eædem quæ Gedani, quarũ nulla unquam Ratio neq; Provinciæ, neq; Populo redditur. & tamen aliter Conſtitutionibus Gedanenſibus ordinatũ proviſumq; à Regibus eſſe, dum dicitur: Sereniſsima Regia Majeſtas non prohibet, quin juſtis & Neceſſariis de cauſis conſtituantur (ſcilicet Accizæ) interdum de conſenſu Centum Virorum juxta conceſsionem Divi Parentis ejus Majeſtatis. cæterum expenſarum accuratã vult reddi rationẽ. Legationes & Fædera cum Externis Principibus tanto ferventius ab Elbingenſibus iniri certum eſt, quanto major minoribus indiſpari potentia æmulandi Gedanenſes amor & libido. ſumma flagitia. Teloneum Funtzol

zol Gedani sub nomine Culagæ, Elbingæ sub eodem titulo, utrobiq; specie additamenti exigitur, & plurimæ aliæ Datiæ contra Iura Publica introductæ, quibus Provincia, Nobilitas & expositi cuicunq; oppressioni eorum subditi exhauriuntur. contra ipsos Recessus Elbingensis Civitatis Anni 1592di. & 1601tii, postremò contra ipsam Assecurationem à VLADISLAO IV. Provinciæ datam: Quod non debeat derogare aut præjudicios esse hic modus colligendi Nobilitati & Prussiæ Terris.

Iam verò quam flagitiosis Artibus & magis injuriis super iniqua Rein: tempora hoc genus Telonei, quod Culaga vocatur, Elbingæ irrepserit, ob pœnam flagitii exponi petit calami verecundia. Cum enim extincto Svetico Adolphi Gustaui bello Elbinga vigore Pactorum Divo Vladislao Regi Restitui debuisset. Magistratus Elbingensis impudenter legem sive Recessum condidit: quod Culaga S. R. Majestati & Regno solvi non deberet quam tamen memorati superius Svetici Belli tempore. non Magistratus, sed Gubernator Svetticus

per

per Collectores & Officiales suos exigebat. uti-testatur Recessus in volumine Recessuum Cau-sarum Publicarũ existens Anno 1614. fol 635. die 13. Februarij; cui consonat Recessus eodem tempore ab Hornio scriptus. Ita hoc astu & malignitate Elbirgenses rigidi exactores im-probitatis Antecessorum suorum, nihil ab in-genio Majorum suorum aberrarunt; qui Anno 1596 hoc Proventu Reges suos & Remp: de-fraudarunt. Prava hæc & occulta malignioris ingenii solertia callido illorum invento lu-culenter mõstratur cum enim Elbingensis Ma-gistratus Anno 1596. ejusmodi Recessus de non extradenda Regibus Culaga formasset. nihi-lominus tamen Ratiocinia Regiæ Majestati (quæ Cracoviæ adhuc asservantur) extradidit, præscripto Titulo.

Ratiocinium de perceptis ex Teloneo Libralî S. R. Magestatis.

QVæ Regestra, si accuratè perlegantur, nihil minus quam id, quod Titulus præ-fert, in illis reperitur. cum nihil præter Portorii Ra-tiones in prædictis Ratiociniis inveniatur. Hinc

ampli-

amplius de fraude & impudenti dolo ambigere non licet, Principis & Reip: incuria culpanda est, quod præcipua Regni negotia & unde maxima utilitatis expectatio, nullâ curâ transmittantur: quasi jam amplius ferendæ præsens Resp: non sit par Fortunæ. Postremò is quoq; Elbingensium Conat' ut decore ita fraude non caret, quam ut tanto altius occultare possint & Actiones suas inquisitioni Regum subtrahere, status Provinciæ medio Conventuum & Instructionum pro Comitiis Regni, intricare cum Rep: moliuntur: ut ex privata causa in Publicam transcripta iniquitati suæ obrendant munimentum. non jam in comoda solum Reip: injurii, sed etiam Publicæ honestati adversi, dum Partes accedunt ad injuriam proprio Reipub corpori inferendam.

Proinde si hic modus Telonei tolerari deberet, etiam modus antiquus reassumendus est. ut nimirum more sub Ordinum Magistris usitato, duæ partes ejusmodi Collectæ ad Reges & Provinciam Tertia, Civitatibus cedat in publicos usus reservata Statibus in Conventi-

bus

bus Terrarum Prussiæ super expensis exacta calculi ratione. Nam si prædicti Telonei opimus fructus pridem Reipublicæ innotuisset, factaq; circa illius accurata Ordinatio fuisset, iam pridem hoc publico ad Iura Regalia & Reip: ærarium spectante proventu, summa Duci Prussiæ 400000. Millium Imperialium Talerorum super Elbinga Pactis Bydgosciensibus assecurata exsolvi potuisset. Si quidem Omnia Vectigalia secundum receptam Iuris Consultorum decisionem, Iurium Publicorum observationē, ipsa deniq; communia omnibus Regnis & Principatibus Iura Gentium, nihil aliud sunt: nisi Pecunia (non in usum privatum) sed quæ à Populo ad Bellum aut Subsidium Principis vel Reip: Penditur.

Vnde nemo vel imprudens omnino inscitiæ Rempub: vel incuriæ torporisq; circa Administrationem rerum Imperii Sarmatici Principes Polonos arguat, sed tam fædi disordinis causam fraudi potius majori exparte Civitatum & mutationi temporum Reipub: adscribat. in quâ sæpe nullus Legibus locus ob dissensio-

nes Civium, certamina potentium, colliſiones Statuum: quæ dum ſumma Imperii ambigua reddebant, nihil mirum: quod Minora ſine cura haberentur. Nam à prima origine Conſtitutionis Vectigalium, ſatis Reges & Rempub: proſpiciendo Iuribus Supremis non admiſsiſſe: ut Portoriales Civitates pro libitu ſuo comercia quibus vellent concederent. Portorium & Iura portorii ſibi Tribuerant. idq; ut validioribus vinculis Legum firmaretur: Modum Commerciorum concedendorum per Comiſſarios Authoritate Comitiali (nam in cauſis Portorialibus & Civitatum Ordinandarum Commiſsiones ſemper fuiſſe, & ejuſmodi Commiſſiones Authoritate Comitiali approbari ſolitas eſſe conſtat Conſtitutione. 13.9ni. & aliis ſatis clarè deducitur) conſtitutum præſcripſerunt. nec tantum Portorium aut Iura Portorii ac Proventus, ſed etiam adminiſtrationem Portorij, & Poreſtatem conſtituendi Adminiſtratores Portorii ſibi & poſteris ſuis reſervarunt.

Magna ſane documenta circumſpectionis olim prudentiæ Politicæ in Ordinandis publi-

cis

cis negotiis Reipub: extare, præter Incorporationis Acta, Erectio Portorii Elbingensis Año 1578vo. Tractatus Pacificationis Gedanensium cum Divo Rege Stephano; & Capitulatio Gravaminũ Bydgostiæ octava Ianuarii Año 1577mo Articulis. 2. 3. 4 6. 8. 11. 15. 21. 22 28. 29. 31. ratihabita. Vbi tales expresse causas in Comitiis Publicis statutum est: ex omnium ordinum Sententiâ esse decernendas. Simulemq; deindè causam ratione Portorii & Stapulæ Elbingensis, commerciorum scilicet cum Anglicana Natione per Commissarios authoritate Comitiali constitutos Levartoviæ postea & Elbingæ per Commissarios Samuelem Laski & alios Anno 1605to. expeditam, tandem etiam in ipsis Regni Comitiis ex omnium Ordinum sententia concluſam ordinatamq; esse. Nihilq; plus Elbingensibus tot publicis Actibus Ordinationũ concessum esse: quam solam facultatem Anglicanam Societatem ad Commercia admittendi, & cum eadem Natione commercia exercendi.

Illi quo se Invidiosis Gedanensium opibus æquipararent, ac sterilitatem Portus sui per

auctionem Proventuum compensarent. innumeras exactiones excogitarunt. & imprimis Stromgieldum, quæ Datia, cum ad Iura Majestatis pertineat, quandò solùm pro usu Regiorum Fluviorum Navigabilium solvatur, iniquissimo exemplo in privatos Civitatis usus ab Elbingensibus esse conversam. Verum & hic ab ipsis color justitiæ quæsitus. nam cum Iura Majestatis talem non posse pati admissionem apud se pensitarent: impetrata Comissione post ultimum Bellum Sveticum, ultima ratione rerum, quæ quinta essentia auri esse dicitur, Comissario protunc à Rege delegato persvaserunt: ut ad medietatem memorati Telonei admitterentur. quæ tamen Commissio à Ioanne Casimiro Rege cum non sit (ut in manifesta Regum Poloniæ injuria) confirmata: quod percipit Magistratus nullò Iure, de facto legitimis Regum Proventibus subtrahit. Hilfgelder, hoc est, pecunias subsidiarias ad Civitates Iure antiquo pertinere certum est, & Collectæ Civicæ esse deberent. Sed Magistratus cum summo abusu modicas hasce quondā Collectas

lectas Civicas in grave convertit vectigal: per quod Provincia & Resp: Municipali Civitati redditur vectigalis, nec sub alio Titulo nisi modesto tam enorme exigit in hanc usq; diem Teloneum. Hinc suam originem famosum illud Elbingæ Telonei genus, quod apud illos Anlaga appellatur, traxisse videtur. Hæc Exactio ingens est, cum enormis quantitas Telonei omnibus frumentis, quæ in Civitate consumuntur, omnib⁹ pretiosioribus ac Vilioribus Pannis, cunctis denq; mercibus & ipsis oleribus imposita sit tanto onere Emptoris juxta ac Venditoris: ut aliquando hæc Exactio medietatem pretij, quam Emptor dare pro rebus cogitur, superasse contigerit. nulli enim Braxatori, pistori, vini adusti Crematori, panem pinsere, cerevisiam braxare, Vinum adustum cremare nisi soluta prius ante omnia Datia Anlagæ, permissum est. Quam autem gravis sit hæc Exactio cunctis Regni & Provinciæ Mercibus, hinc facilè percipi potest: quod à pondere sive Lasta tritici Viginti floreni, à lasta siliginis octodecem floreni à brasco Cerevisiæ vigin-

viginti floreni, pro qualibet octogena Butyri quindecim groſsi ſolvantur. Et ita præter Acciza (quæ ſeorſivè ſolvitur) Generalis hæc velut Acciza introducta eſt temporibus Divi Sigiſmundi Tertii Regis Anno 1592. teſtantibus ipſius Civitatis Receſsibus. Cui Exactioni Status & Ordo Equeſtris Terrarum Pruſsiæ ſtatim ſeſe valide oppoſuit: ſed cum Civitatis Elbingenſis à Regia Majeſtate Reverſales produxiſſet; quod hic modo contribuendi Provinciæ derogare & præjudicioſus eſſe non deberet (ſicut id ipſum Civitatis Receſſus teſtantur) memorata Exactio invaleſcere cæpit & in hanc uſq; diem magno Nobilitatis mercium præjudicio ſine ulteriori Statuum Terrarum Pruſsiæ Conſenſu continuatur.

Non ſpernenda videtur & Datia, quæ Tonnengelder vocatur cujus vix tertiam partem in ærarium Provinciæ inferri certum eſt. Hæc Exactio ab omnibus Braxatoribus, anticipativè ante braxationem cum Analaga ſolvitur: ſcilicet pro qualibet Tonna viginti ſex groſſi numerantur. His initiis vilitas Annonæ pretij,

priva-

privati cujusq; commodorũm detrimenta, publicæ inopiæ causæ in dies emergunt, quando ob in audita & impracticabilia imposita in merces Teloneorum onera sæpè Exactionum prædictarum pensio excedat pretium Vendentium, ut in Hordei pretio sæpius compertum est.

Cum itaq; luce meridiana clarius sit, & vel ipsi amaurosi perspicuum. Dominium omne Maritimum ad Reges & Rempub: pertinere, Iura Fisci per Privilegium super usu Iuris Lubecensis Elbingensibus concessum à Iuribus Majestaticis Regum Poloniæ, nec alienata esse nec alienari potuisse; quod ex verbis dicti Privilegii concessionis Iuris Lubecensis extra omnem controversiam ac dubium ponitur, cujus tenor est: Concessimus ejusdem Ciuitatis Civibus Iura quæ sunt in Lubeco, ita tamen, ut quidquid sit contra DEVM & Dominum nostrum, contra Civitatem & Terram penitus sit excluſum. Itaq; Vectigalia nulla in causis maritimis & super commercia imponi potuisse, præter unicum Portorium Teloneum Funtzol novo nomine Culaga dictum ita abrogatũ esse:

ut in-

ut inſciis Ordinibus Regni & Pruſsiæ Provincia introduci non potuerit: quod juri ſupremo Majeſtatis & Reipub: deroget, ſimulq; ingentibus damnis, & graviori ſupra quævis diſpendia afficiat Regnum dehoneſtamento cum tota Reſpublica per hoc flagitium, Gedanenſi & Elbingenſi Civittaibus reddatur Vectigalis.

Ergo ut ab his Civitatum maleficijs Regum & Reipub. Majeſtas liberetur, confuſioneſq; in Tractatibus cum Duce Pruſsiæ præcaveri poſſint ratione Portus & Portorii Pilavienſis, per Reaſſuptionem Commiſsionum Año 1578vo authoritate Comitiali Levartoviæ celebratarum ad priſtinam modeſtiæ orbitam Elbingenſes reducendi amputatis, quæ in quæſtum reperta, nimiis opibus ſuperbiam Civitatum ad injuriam Publicam extulerunt. Nam reductio cujuſcunq; ſtatus ad primæva Principia, optimum eſt adverſus ſuccreſcentia vitia remediũ, ſimul unicum compendium ad retinendum priſcæ modeſtiæ temperamentum.

Puderet referre tot præjudiciis affectã à duabus Municipalibus Civitatibus Rempub:, niſi ſalu-

saluti Publicæ expediret. quando insatiabiles eorum cupiditates callidissimis inventis, nimirum per Rescripta subreptitiè de abroganda Keutelaria obtenta eo usq; evaluerint; ut nobilis scilicet ex Piscaturæ Officio Proventus in eorum usus verteretur. Verum non modo Mare recens Hab & Keutelariam ejusque proventus Regibus & Reipub: debitos ad Dominium suum & plenam possessionem transtulerunt. sed etiã tot Terrestria Bona Deo dicatis censibus liberalitate Regum Poloniæ adscripta, per summã fraudẽ Regum Majestati & Reipub: eripuerunt. Imprimis ergo de consecratis Divino Cultui Bonis, dein ad mensam Regiam pertinentibus Tenutis, ultimo de proprio Regum & Reipub: Patrimonio dicendum est.

Bona Hansdorff cum adjacentibus satis opulenta Sigismundus Rex armis olim à Crucigeris vindicata in usum Parochialis Templi donavit, permissa velut Elbingensibus ad importunam eorum instantiam prædictorum Bonorum tutela prout testantur verba Privilegii, cujus tenor est:

IN NOMINE DOMINI AMEN.

Ad perpetuam memoriam; cum Regum & Principum benignitas tanto amplioribus laudibus decoratur, quanto benigniora munera fuderit in subiectos. Proinde nos Sigismundus manifestum facimus tenore Præsentium universis ac Singulis præsentibus & futuris harum notitiam habituris. Quia nos habentes rationem fidei & meritorum erga nos & Rempublicam Regni nostri famatorum Præconsulis & Consulum Civitatis nostræ Elbingensis, quibus cum alias tum maximè in bello. (quod feliciter Domino DEO adjuvante cum Magistro & ejus ordine Crucigerorum in Prussia Hostibus nostris multis & variis eorum injurijs provocati gerimus) se nobis reddiderunt oficiosissime commendatos, volentesq; ea ipsa bene meritis eisdem Præconsulibus & Consulibus Civitatis nostræ Elbingensis gratia beneficia nostra refundere, illosq; ad futura nostra, & Reipublicæ Regniq; Nostri servitia promptiores reddere ipsis, villam nostram Hansdorff nuncupatam, quondam ad hospitale pauperum in Holland, quod nunc in toto diruptum & desolatum est spectantem, ad Vsum & Sustentationem Mansionariorum, ad decantandas horas gloriosissimæ Virginis Mariæ in Ecclesia Parochiali S, Nicolai in ipsa Civitate Elbingensi, Deputatorum modernorum & pro tempore existentium de certa scientia & liberalitate ac de plenitudine Potestatis nostæ Regiæ dedimus & donavimus, damus & donamus cum omni jure & Dominio atq; proprietate, prout Nos ipsi eandem villam hactenus tenuimus & possedimus, nihil juris Dominij & proprietatis pro nobis & nostris Successoribus in eadem villa reservando; Volentes eandem donationem prædictæ villæ nostræ durare juxta Nostram voluntatem per ipsos Præconsules & Consules Elbingenses modernos & pro tempore existentes, prænominatam villam Hansdorff cum omnibus ejus agris, pratis, Campis sylvis, nemoribus, mellificijs & melle exiis proveniente, scultetis. Kmetonibus, colonis hortulanis, Tabernatoribus, censibus Pecuniarijs & frumentarijs, servitijs, laboribus, lacubus piscinis, Piscaturis, allodijs, Prædijs Curijs, Domibus, molendijs & eorum emolumentis, & alijs utilitatibus, fructibus, Proventibus, Reditibus præsentibus & futuris,

gene-

generaliter universis, nullis exceptis ad eandem villam Hansdorff ab antiquo seu quomodolibet realiter pertinentibus, quibuscunq; nominibus nuncupantur, ita longe late & circumferentialiter, prout eadem villa Hansdorff, in suis metis & limitibus est distincta & limitata. Sic quod specialitas generalitati non deroget, nec, contra tenendam, habendam uti fruendam pacifcè & quiete possidendam; & pro usu ac sustentatione mansionariorum prædictorum Ecclesiæ Parochialis convertendam vigore hujus donationis nostræ & præsentium Literarum nostrarum quibus intestimonium Sigillum nostrum est appensum. Actum & datum in Civitate nostra Torunensi ipso die S. Petri Anno Domini 1520. Regni nostri 14. Anno.

Quæ quidem bona ipsis à Rege constat esse retradita, sed pro sustentatione Mansionariorũ Ecclesiæ Parochialis convertenda, & tanquam in manus Patronorum fide ac perennis tutelæ depositа. At ipsi ex Tutoribus (præclari Custodes Ovium) usurpatores facti, Mansionarios incirca 153 mum Annum expulerunt. quo facinore non tantum alienatio subsecuta Bonorum Reipub: comoda in publicum ex Agrariis ac solutione Quartæ suppressa; verum etiam gravis confusio in Iurisdictione & Limitibus jam confusis inter Regalem & Ducalem Prussiam exinde orta est. cum se subditi prædictorum Bonorum sub jurisdictionem Ducalem incorpo-

raverint: Elbingenſibus, quo ſe à præſtandis Reipub: oneribus ſubtraherent, atrox nefas in Rempub: non modo permittentibus ſed tanti etiam ſceleris Authoribus. Caſſationis porro hujus Privilegii (cum inſuper dubium ſit, an Sigillo Regni munitum habeatur? quoniam non extat in Metrica Regni) validiſsimas eſſe rationes. Quando non ſolum Privilegio Incorporationis, ſecundum cujus tenorem nihil in Pruſsia fieri conſtituiq́, multo minus alienari ſine Scitu Conſiliariorum & Pruſsiæ Ordinum poſsit. Statutis etiam Alexandrinis Añi 1504ti. repugnat. ad extremum quod ſummum eſt: cum ceſſet ejus cauſa (ſuſtentatio ſcilicet Manſionariorum) etiam effectus, poſſeſsio nimirum ceſſare deberet.

Poſtremo & ingens planicies Wikieraw dicta. Monialibus Conventus S. Brigittæ a piis Regibus conceſſa, nonaginta circiter manſi erepti & magnifica Regum fundatio Elbingēſibus ludibrio ceſsit. Advertit id Magnanimus Princeps Sigiſmundus Auguſtus, tulitq́ Anno 1570mo. Feria ſexta poſt Feſtū S. LAVRENTII con-

contra Elbingenſes ratione eorundem Bonorum Decretum ac promulgari demandavit quo mediante Decreto Bona ipſis memorata Wikieraw adimuntur Fiſcoq; tribuuntur, ac ei intromiſsio effectiva, ſub vadio decem Millium Aureorum Vngaricalium, in quantum non admiſerint Intromiſsionem, adjudicata, ad loci Ordinarium tanquam Regale brachium pro facienda Executione militari remittitur. Extat & aliud ſub Sigiſmundo III. Rege ratione omnium Eccleſiaſticorum Bonorum Año 1593tio ad Inſtantiam Staniſlai Makowiecki Canonici Gneſnenſis Parochi Elbingenſis Decretū ſub viginti millibus aureorum Vngaricalium reſtituendorum. Hunc vero Nobiliſsimum Iuris & æquitatis cursū, cum poſtea preces & munera Elbingenſium ſtitiſſent, quæ placant iratos Divos hominesq;, ne debita executione terminaretur: nihil tamen ideo juſtitiæ cauſæ in univerſum derogatum eſſe ſciendum ſentiendumque eſt.

Sed exacto Iudicio ponderantibus mirū videri non debet: quod Eccleſiæ, adverſus quā hoſti-

hostilem animum gerunt, tot Possessiones eripuerint. cum contra altricem suæ tenuitatis Regum Clementiam tam iniqua ausi sunt: Patronis suis & Benefactoribus Panem Regiæ Mensæ auferentes: dum ab Æconomia: Mariæburgensi contra Pacta cum Crucigeris Año 1466 to. inita, Privilegium & Pacta Incorporationis Terrarum Prussiæ insignem Lacum Drausen, dein abusi ad summam injuriam Reipub: temporibus Svetici belli sub Adolpho Gustavo (ad quem magno Reip: incommodo defecerunt) Sylvam Regiam quam Lindenavienſem appellarunt, à Pago Lindenaw ad Æconomiam Mariæburgensem spectante, pascuis prædicti Pagi vicinam exciderunt. idq; cum impune successisset, magna jam tum circa Publica commoda Magistratuum secordia, atrociora sibi permisêre: Nobilissimum Districtum Einlaga dictum ac latissima prata multis millibus equorum alendis peridonea deoccuparunt. ex quibus annu' cens' notabili summa augebat Regios Æconomiæ Proventus. Dites insuper Pagos Insulanos Horst Mausdorff &

Eur-

Fürstenaw, in Limitibus Oeconomiæ Mariæburgensis sitos subtraxerunt. nihil veriti Privilegium Ordinis in Anno 1378. confectũ, Commissiones, aliaq; clarissima documenta, quibꝰ palam deducitur: prædictos Pagos inter Mariæburgensis Oeconomiæ limites contineri, & omninò ad Mensæ Regiæ Provisionem pertinere. At novissimus Elbingensium ambitus in pudendam & ultra non ferendam Regibus erupit audaciam. Quando Novam Civitatem Elbingensem per Cardinalia Privilegia, tempore Incorporationis solenissimè juribus Majestaticis Regum reservatam, cum tot pagis & Bonis Terrestribus cum omnibus Datiis & oneribus, tanquã in Regno reservata Civitate pertinentibus & in Privilegio Casimiriano contentam inscia penitus Repub: avulsã esse, à Magistratu Elbingensi Veteris Civitatis, omnibus proventibus ad Reges & Iura Majestatica pertinentibus, sublatis possideri, versa jam ferè in absolutum Dominium usurpata per licentiam Potestate, quæ Nova Civitas si in suo jure à Regibꝰ conservata, à Provincia adversus enormes

Vete-

Veteris Civitatis Elbingensis ausus protecta esset: non secutæ fuissent tot defectiones à Regibus. tanta dispendia Reipub:; opponente se in Consiliis & Foro Nova Civitate pro integritate Reipublicæ, cujus semper studiosissimam constat fuisse. Non contrax sset tam prægrandia debita obærata multis millionibus Vetus Civitas Elbingensis, contra Constitutiones Anni 1568. (quæ speciali titulo Constitutionum Elbingensium, insigniuntur) si Novæ Civitati debita authoritas juris vetandi in Consiliis Civitatis fuisset conservata, nunquam enim huic obæratæ Civitati aut Creditorum indemnitati consultum fore; nisi Revisionis & Reformationis negotium circa Cameram in Civitate Elbingensi constituatur, ac in puncto ratione Cameræ & illius credita concernente in hunc modum decernatur: ut sublato Cameræ Arcano, communis & exacta notitia summarum Civitati creditarum, Præsentiumq; Reddituum quantitas & Erogationum necessitas ad omnes Cives qui pari Civitati Juramēto obstricti sunt, perveniat; Ita omnes Civitatis

Pro-

Proventus, juxta Regum Ordinationes & Majorum Instituta in Commune inferentur ærarium, nec quidquam ad aljos, nisi destinatos publicos usus, communi eorum quorum interest, consensu, impendentur, & quod assignatariis publice, vel Creditoribus privatim debetur, cuicq; sine mora ex justo & condigno tribuetur. Nam Casimirus Magnus per Privilegium Fundationis Novæ Civitatis Anno 1457. concessum, simul Ecclesiasticæ dignitati, Parochialem Ecclesiam Sibi & Posteris suis ac Successoribus in usum Religionis Orthodoxæ in Veteri Civitate reservando, prospexit: simul Novam Civitatem Elbingensem, omnesq; Proventus ejus sibi in Proprium Fœudum seponendo, immunitate pari cum Veteri Civitate donavit. Hujus equidem Privilegii vim callido fuco Magistratus Veteris Civitatis impugnat tanquam Nova Civitas incorporata ipsis sit per Privilegium Incorporationis (quod Privilegio Fundationis posterius esse) sed hoc Nobile commentum, intra verborum scenam latere, talium peritis ludicrorum gnarum est,

Tanta Reip: jactura & opprobrium Legibus & authoritati publicæ illatum, vindicari & cõpensari potest: si Constitutio Anni 1569 reassumatur, per quam Civitates Obstrictæ sunt in Comitiis Ratione Bonorum Terrestrium Respondere & Ibidem Iura sua Producere. Simul Privilegia omnia Pactaq; cum Crucigeris Anno 1466. concluſa revideantur. Pacta etiam Civitatis Gedanensis Anno 1577. perlustrentur. Elbingensis quoq; Civitas Privilegia sua, & cum illis Privilegiũ Ordinis de Año 1378. super Bona & Pagos producat Insulanos. nam ad Rescripta, Privata Aulæ Iura seu potius præstigias & Inania Civitatũ fallendi Iura attendẽdũ non esse: cum Publicis Iuribus & Cardinalibus Regni ac Provinciæ Legibus, nullatenus ullo colore, aut fraudis viâ apud circumspectas & prudẽtes Respublicas, Magnanimos & Divini juxta Humaniq; Iuris callentes Principes derogare possint. Et suo seipsam exemplo damnat Elbingensis, cui si tantum contra Privilegia Regum legitimè concessa audere licitum est, cur Reipub: Rescripta subreptitiè aut contra

funda-

fundamentalia Iura Regni obtenta, tollere non sit pronum ac expeditum? Moris enim Elbingensibus est cum Regiis Mandatis vel Privilegiis confirmatis Magistratum interpellantes Iurisdictioni suæ parentes Colonos, mulctis afficere aut carceribus plectere, prout non ita pridem subditis Regiis Behmischgutt, à Capitaneatu Tolkmitensi avulsis Civitate Elbingensi concessis, contigit: ideo tantum incarceratis omnibusq; Bonis spoliatis, ne Reipub: & Regiæ Majestati patere possit: quo Iure Civitas Elbingensis Bona Reipub: possideat? quæ præstita olim in Publicum onera, & jam erepta Reipub: commoda? per Rescripta aut Privilegia. dolosq; vel iniq; obtenta, Avulsiones Privilegio Incorporationis vetitas perpetraverit?

Ius vero Cudendæ Monetæ Elbingensem Civitatem quomodo usurpasse, prorsus non reperio: nisi ut cætera, ita & hoc lucri causa pari impudentiâ sibi appropriasse. cum Privilegium Incorporationis tantum Torunij & Gedani de cudenda Moneta; idq; sumptibus Regiis, obloquatur concessam equidem eis pote-

statem fuisse Anno 1246. cudendi nummos, sed tantum Pheningos, & quidem ejusdem ponderis ac prætii ac fuerunt Culmenses. Nam certum est Elbingenses posthæc nullum Privilegium super cudendam Pecuniam habere legitimè obtentum, hoc est, prævio cõsensu Procerum & Ordinum Terrarum Prussiæ: nisi fortè à Gustavo Adolpho Sueciæ Rege in Oppido Holland Privilegium ab Amico hoste concessum ipsis pro magnifico sit? vel aliquid occultum lateat? quod lucem fugit, & cum Privilegio ac Pactis Incorporationis timet cõparari

Sectis varijs obnoxia Civitas, Religionẽ nullam sed aliquid pro religione colit, quod Syncretisimum vocant. cum in ipso quidem Magistratu Vnus Religionis Tenor, veram nec erga DEVM, nec erga Homines, arguat esse Fidem. utq; nullam solidam sibique & aliis probatam Religionem, sic nulla certa Iura habet, Torunium & Gedanum Iure Culmensi utuntur | ex Triplici Ordine constituta gaudent Republica: Senator scilicet, quem constituit Magistratus: Iudiciali quem repræsentant Scabini:

certi-

tertius ex Communitate componitur. Elbingenſes ius quoddam incertum admiſerunt iuribus Majeſtaticis, & privatis Conſtitutionibus ſuis multis in Punctis contrarium, nec tam facilè inſciis Terrarum Pruſsiæ Ordinibus admiſſibile, Ius Lubecenſe, & libertates externas prætendunt: Ducosq; tantum Ordines admittunt; nimirum Senatorium & Popularem, ex quo triginta tres Magiſtri Populi conſtituuntur, qui illorum placito Communitas Præſentantium appellantur. nec mirum quod excluſo Iudicali Ordine, Iuſtitiam non admiſerint, cum Fidem non habeant: unicum omnis Iuſtitiæ fundamentum.

IVS CVDENDÆ MONETÆ CENSVS IVS ÆRARII.

ANtiquiſsimum Ius Comitiorum primum Libertatis Fundamentum, Contributionum Neceſsitati ortum ſuum debet. Ius Bellorum antea penes Reges abſolutum, ad certam adſtrixit de Expeditione Generali Legem impro-

improspera Alberti Regis adversus Orientis vires expeditio. Iudiciorum Ius integrum; nè reservata quidem Majestati ultima Provocatione Stephanus Rex, ingenti molimine curarum & multitudine affluentium causarum obrutus, Equestri Ordini concesserat. Sed quod in memorabili adposteritatem facto ab Henrico Valesio tædio Iudiciorum paria meditante præuentus non fuisset, brevitate Imperii factum. Reliqua Supremorum Iurium Majestatis cum Ordinibus Regni communicatio, analogia priorum causarum seriè ad Rempub: devoluta est. donec Sigismundus Tertius gratificaturus Ordinibus, etiam juri eo usq; Regio Signandæ Monetæ renunciavit: quo sincerior in posterum nullo inde capto lucro cuderetur, nam ad eam diem depravata propter enormia lucra pecunia, magno privatam Civium fortunam oneraverat incommodo. Sincerior abhinc Moneta ingens sub Vladislao IV. opibus publicis & privatis dedit incrementum idem sub Casimiro Rege, donec honestis consiliis locus. paucos per Annos Regni fortunæ

tenor:

tenor: cum repente turbare ipse, aut turbantibus vires præbere cæpit. Primaq́ jacta in Comitiis Regni Cudendæ mox paupertatis publicæ rudimēta, accusata enim Publica egestas, ostensæ magnæ necessitates, monstrata Reip: ex Boratiniana & Tymphiana Moneta ignaris aut simulantibus prægrandia velut per somnium, lucra meræ præstigiæ. dein quasi bono Ordini circa Rem Monetariam, aut damnis in Rempub: promanaturis consuleretur: instituti Commissarii, ordinata per Legem publicam Commissio, quæ ulrra Annum continuata, ne ipsa quidem Comitiorum authoritate detectis jam artibus cohiberi potuit; donec argentum & aurum veteres Reipub: opes extra fines Regni deportarentur. Ita cum singuli Anni cladibus & damnis insignirentur, insuper vanis largitionibus & inhonesto bellorum Civilium sumptu ærarium Reipub: velut per ludibrium fatigaretur accesserat ad hæc vetus circa publicos Proventus disordo, quo sæpius, quamvis florente Regno in magnis Reipub: opibus. atterebatur tamen ærarii apparatus

ratus. Id sæpius magno ubiq; negotiorum publicorum, sed in Anno 1630. grandiori evenisse Reipub: damno prudens & verax rerum Polonarum Scriptor arguit. eodem Anno à Comitiis præteritis Decreta Tributa, omnibus oneribus tam propriis stipendiariis, quam Valenstreinianis auxiliaribus sufficere poterant nisi sorices ærarii communis nervum hunc Reipub: arroderent, inueterato rei priuatæ ex publico censu agendæ studio. Quem errorem omnes in hac Repub palam norunt, in singulis Comitiis perpetuo deplorant, & nunquam corrigunt. nec mirum: quia cum periculosæ semper & difficiles sint, vel leviss mæ in Libero Statu Mutationes, liberum ad eas populum seu natura siue metu, tardè plerumque condescendere, ac ferri solere, quædam tamen Instituta, quæ licet olim veteri Statui salutaria fuere, cum præsenti nihilominus Reipub: forma temporumq; conditione, quando non possunt convenire penitus immutanda & abroganda esse. sic Antiquitas posthaberi potest Novitati (plerumq; periculosæ) ad majus

emo-

emolumentum. Nam olim moribus integris, amor & fides in publicum incorrupta habebantur; postquam ambitio, & luxus cupiditatibus viam monstravere, irrepsit avaritia publicæ utilitatis hostis, divertitq; honesta desideria à Bono publico, ad privatæ Potentiæ incrementum, sic quibus, olim privatus census brevis erat, Commune magnum, nunc ab eorum Posteris mirâ metamorphosi effectum: ut quæ publica, ea vacua sint. Proinde non inconvenies esse felix Instituti eventus monstraret: si è Sacro Ordine Viro pietate & moderatione cupiditatum claro dispensatio ærarij ad Quadriennium crederetur, quo tempore elapso: si egregiè & ad publici commodi regulã Officio functus esset, in præmium ei sumi laboris insignis Abbatia aut Episcopatus Senatoriâ grandis Curuli cederet. Isq; honor Quæsturæ integrè toleratæ, segnes & improvidos metu ob contemptum sui à Republica, magnanimos spe & cupidine gloriæ, omnes æmulationes decoris ad recta stimularet. Subquæstores ad hæc vulgò Notarios ærarij. alterum ab

Ordinarijs, alterum ab Extra ordinarijs Proventibus Resp: è medio Nuntiorum Terrestrium lectos ærario præficeret: qui singulis Comitijs circa Ratiocinia errata aut defectus publicorum redituum fidâ voce & Informatione ad Rempub: deferrent, idemq; dies illorũ Officio supremus esset, qui Magistratũ ærario Præfecti terminaret. Subtiliores etiam administrationis ærarij rationes haberi quidem posse nullam utiliorem, tentata jam toties à Republica: media monstravere. Nam quid novissima illa à Thesaurario Regni ad Palatinatus Terrasq; translatio Potestatis & solvendi Exercitui stipendia onus in se receptum? nisi confusio & publicum dispendium, ob fraudes Particularium Quæstorum per Districtus Constitutorum, aut negligentiam ac renitentiam scitum Tributum ægrè nec ex toto conferentis Nobilitatis; cum ob mutatum circa res ærarij justitiæ Ordinem & difficilem vindicandi Processum ab utriusq; sancita Publica in levi habeantur. Sed quamvis proba ac recta Administratio ærarij, publicæ opulentiæ non postrema pars sit:

nihi-

nihilominus tamen neceſsitates publicæ majus ac majus augmentum divitiarum ad publicum admittunt emolumentum.

Augendi porrò ærarij duo Reipub: ſuppetunt argumenta. cuncta enim ſcrutantibus, imprimis ad inſtaurandam Rem Monetariam referre manum animumq; deceret: unde præcipua inopiæ cauſa. Ea verò calamitas facilius multo medelam admitteret, ſi infelix dies alterius proſperitate: turbidus Annus, ſequentis tranquillitate penſaretur, & melioris interventu ætatis priſtinas poſſet recolligere Reſp: vires nunc quando triſtibus triſtia cumulantur, & ſenſim ingraveſcentibus Reipub: malis publica ſubſidia minuuntur, arduum effectu negotium & vix practicabile occulta prudentia dictat. Bonum tamen & familiare remedium occurit: Reductio Monetæ ad juſtum valorem quantitatis qualitatiſq; materiæ. Sed vaſtæ jacturæ opum horror, verſæ funditus tenuiorum fortunæ lachrymæ vix id permitterent; nullo præſertim ſincerioris Monetæ ſubſequente curſu: ut grandia ubiq; diſpendia quibuſdam me-

lioris pecuniæ usu, apud quosdam spe saltim pensarentur. Proinde ne ad pauperes tantum tota damni moles deriuetur (cum à Potentibus Aulæ Magnatibus, ne ipsi Plutoni & avidis talium Inferis probato satis consilio ea calamitas provenerit, jamq; solertissimus aut ditissimus quisq; Permutatione aut per commercia indemnitati suæ providerit, omni adulterinæ Monetæ ad tenujores & debiles redacta fæce) prospero & læto posthæc Reipubl: invento, omnium ex æquo salvis fortunis, consuli posset, si specialiter in hunc finem authoritate Comitiorum sanciretur: ut Princeps Ecclesiasticus, Senatorius & Equester Ordo dimidium annui census adjecto ex honoribus fructu, Oppidani facta bonorum mobilium æstimatione per universas Regni Vrbes, nullis exceptis Immunitatibus (vanis in summa necessitate legum titulis) binos grossos ex singulis florenis in ærarium conferrent. Hæc publica munificentia mox argentifodinam & amplam Officinis Monetariis pecuniæ cudendæ materiam suppeditaret, quâ publicæ opes reficerentur

tur, & fuscus impuræ Monetæ, sine violentia & enormi gementis Populi damno evanesceret. Possent & sæverissimâ Lege futura tempora pro Repub: muniri ne unquam licitum esset, viliorem Monetæ Speciem Pro Cursu Sinceræ Obtrudi Pecuniæ quando millies consultius esset valorem Pecuniæ in triplum aut quadruplum imposita per Legem æstimatione augere; quam adulterinæ Monetæ licentia doloq; publicas Regni opes & Commerciorum commoditatem funditus pervertere. quia per Avgmentum Valoris Pecuniæ si nihil aliud aut plus utilitatis accederet; id saltem omni lucro potius haberetur: ut Bona Pecunia intra fines Regni maneret, & non omne, prout ex Inductione falsæ Monetæ, in miseros tantum damnorum & calamitatis onus recumberet. Ita unius Anni molesta nonnihil Privatorum Peculio in Publicum liberalitas, multas posthæc in ætates (piè credo) ob servatam integre erga universos justitiam, omni felicitate instructam & quæ summa fortuna est, gratiâ Gubernantis Regna & Regentis Populos Terræ custodi-

tam

tam servaret Rempublicam. Est adhuc & Ratio augendi ærarii non per ingenioſos inventionum fucos commendabilis, ſed ſolida juſtaq́. Si nimirum ingentia Vectigalia è Portu Maris Baltici ad ſupremum Reipub: Dominium & Ius Majeſtatis ſpectantia, quæ nunc à Portorialibus in Pruſsia: Civitatibus per ſummam injuriam uſurpantur, in uſum & Ius Regni aſſerantur. Non deberent in hoc negotio Reipub: Iudicium turbare, Reſcripta Principum nulliter Civitatibus collata, non Privilegiis inſerti de Teloneis centones, cum id apud Reges ſcitum fixumq́ eſſe deberet axioma: Contra Principes præſcribi non poſſe. Coronæ Bona, res Iuris Imperii nullo fuco colore, aut quocunq́ prætextu juris, nulla deniq́ authoritate à Regno alienari poſſe. Inſignis hic acceſſus ærarii duorum & ultra millionum ſumma, magnis bellorum neceſsitatibus & ſolis Principib⁹ Iure Gentium debitum ſubſidium redderetur: ſi impenetrabilis in Civibus fides & amor in Publicum eſſet, Principes dexteritate & reſolutione, ac æterni nominis gloriâ, ſolo Poſteri

steritatis judicio anxie intenti, cunctas utilitates & minores suo Genio curas infra haberent.

Concludo Philosophi Oraculo verisimè de rebus Publicis enunciatis: Conservari Respublicas, non solum quia propriè sunt, quæ interitum afferunt, sed etiam, quia procul quasi intelligi velit, præsentibus in Rep: vitiis statim obviandum esse; remotiora mala sagaciori industriâ antequam radices agant exstirpanda nam illas Respublicas certo judicio ad injuriam Fortunæ damnatas esse quæ moribus excellenter corruptis longinqua pericula ut aliena contemnunt damna, nec nisi summâ necessitate ad Fortia Consilia impellantur. sic fieri, ut desperato remedio suâmet imprudētiâ, nunquam sperato involuantur exitio. Prope Sunt mala Reipb: Polonæ quæ in Imperij Capitibus constituta, reliquum Reipub: corpus vitiis labefactant, contagione debilitant, quæ nisi analogis præsenti Reipub: Formæ Legibus corrigantur: aut penitus exedent Remp: aut confectam & enervem viribus in unius transcribent Hæreditatem. Procul Est gravis &

justus

justus in Repub: ex Methodo Electionis metus nam magnus ille motus animorum hunc vel illum destinantium amabitiosis artibus vehemens & discors: factionum in Repub: scissionum Bellorum Civilium seges est, & iniquioris aliquando Interregni fatalis crisis status Reipub: jam nunc pro Phænomeno habetur. Eam venturorum malorum supremam seriem, tanta mole experientiæ à Magistra anteacti temporis prudentia Aborigenes Nostri satis instructi anxias curas diu animo revoluentes, cum inter conservationis Diuturnitatis Reip: consilia, & Libertatis Dispendia circa determinandum Electionis Modum & certam Concludendorum Consiliorum Rationem fluctuassent. Postremò id negotij inter Pacta Conventa Stephano Regi inseruêre: ut ille Principatu suo in id animi Regij vires intenderet; ut provisis & expensis rectè consiliis Rempub: adversus gravia inter Regnorũ discrimina inviolabilem ac securam redderet. Sed postquã adductiori imperio Regentem Populos, & in Dominationem pronum Principem advertêre: mul-

m ultumq; anxii ne Princeps monstrata sibi à Re pub: via ad successionem Regni, stirpem suam vocaret a[illegible]ibus contradictionibus, & dissona priori placito Tribunitiæ Potestatis voce fervens jam negotium destitutum est. Idem ad initia Regni Sigismundi III. pro retinenda status tranquillitate studium, & adversus turbida inter-Regnorum tempora publicæ Providentiæ tenor: nisi egregio conatui nimia in Gentem Germanam Principis Poloni inclinatio obstitisset. Hinc nihil in comitiis super grandi negotio concludi potuit, nisi prius Lege publica prospiceretur Reipub: ne quis è Domo Austriaca ad Coronam Regni in perpetuum capax suffragiorum haberetur. tandem post longas concertationes defatigata studijs inanibus Respub: arduum negotium manumisit. Proinde palam est: insignes deliberationes, necessaria consilia super negotio Conse[illegible]rationi Diuturnitatis Reipub: saluberrimo glorioſa quidem & laude digna in majoribus fuisse; sed fortius prægustati negotii & statim relicti exemplo convicta ratio docet; quod Respub:

expensis hinc & inde consiliis ob insuperabilem difficultatem operis, arbitrium rei cui impar erat, Fato permiserit. satis claro ex suis deliberationibus Posteritatis prudentiam instruens Monito: quod nulla humani ingenii viribus excogitari possit ratio reducendæ intra orbitam Summi Ordinis & modestiæ Comitiorum Electionis naturam, nisi simul stabilis facilisq; formato ad Dominationis appetitum Principi superstruatur Gradus ad enitendum in absoluti Dominij fastigium. Hic metus sub Stephano Rege, eadem formido sub Sigismundo III. summâ curâ exactâ prudentiâ magnis Rationum momentis ventilatum negotium, omisit tandem & silentio permisit, quod honestius putaret Fatorum Lege plecti, quam per errorem consilij in accelerata ultrò pericula Rempub: præcipitare, nam Libertatis centro cum parallela sit Electio: si vel minimum inclinetur, tota à summo ad imum ruet structura, Nobilissimum tot sæculorum opus, quia omnis status integritas, à Legum & Fundamentaliũ Institutorum proportione mensuram accipit. ejus harmoni-

moniæ vel minima variatio, statim mutationibus aut violentis Conversionibus obnoxiam Rempub. reddit. Idipsum ex memorato de Modo Electionis consilio patet; quod si ad effectum quacunq; ratione non egena mediorum calliditas humani ingenii deduceret: alterutrum aut nimirum Reductio libertatis suffragiorũ ab universa Nobilitate ad Trium Viros, vel si ad plures, haud dubiè tamen ad exiguum numerum; aut certe Translatio è Campo ad Curiam Comitiorum Electionis omninò sequeretur (cujus perniciosæ innovationis jam periculosa jacta sunt fundamenta, quando Pacta Conventa contra veterem morem nonnisi post Nominationem Principis, non arbitrio Populi, sed validiorum stylo & artibus componuntur) ita brevi paucorũ Potentiâ, suis & alienis cupiditatibus magis exposita & obnoxia: factionibꝰ spe, largitionibus citius penetrabilis à Libertate ad Dominationem sceptra transferret, cum supremo Reip: excidio. Nam licet circa Electionis Actꝰ ex populi dissensione periculoso Resp: objiciatur discsimini: nihilominus tamen Po-

puli ingenium juxta Libertatem[1], paucorum Potentia Regiæ Libidini propior, ſtatui Reipub: exitioſior ſemper habetur. Veteri Electionis Methodo utens Reſpub: poſt extinctam Iagiellonidum ſtirpē & ominoſum illud portentum Caſimirianæ Abdicationis, cum illi nec pauci nec inopes Canditati & præcipui famâ, Moſcus, Neoburgic[2]; Condæus & Lotharingus commendarentur, Piaſtos tamen inſigni prudentiâ ad Thronū aſſumpſit, nec quidquam ex Electione aut à Libertate, aut à Fortuna Publica aberravit, at ſi Eligendi Inſtitutum immutatum aut ratio Ferendorum Suffragiorum reſtricta fuiſſet, prout in Convocatione Regni poſt noviſsimum bellum Sveticum Caſimirianis temporibus operosè id parabatur: non ad Piaſtum procul dubiò Regni Corona, ſed ad Potentiſsimum & externum deveniſſet, qui ad clavum debilis Reipub: admotus, manu invalidæ Libertati præripuiſſet Imperium, aut externis implicatam Intereſſis perdidiſſet. Porrò ea Inſtituti ratio plus Reip: detrimenti quam commodi affere poſſet, cùm

nimi-

nimium obtrudat Ordinē, quo plerumq; ad seditiones & extremas turbas Resp: impelluntur.

Nec Principibus ejusmodi tentamentis explendi voti causa circa Eligendum Successorem distrahere ac turbare Rempub: utile aut expeditum, monet & instruit suo exemplo sapientissimus mortalium Rex SALAMON, ipsemet sua vota damnans: Rursus detestatus sum omnē industriam meam, quam sub Sole studiosissimè laboravi, habiturus Hæredem post me. Nulla enim cura minus utilis at magis anxia ac inanis est; quam sollicitudo de Successore Imperij, cum non Potentia & consilio Imperantium Solia firmentur, sed ejus Providentia, de quo David in spiritu loquitur: Domini est assumptio nostra. quia ut Ecclesiastes inquit: In manu Dei potestas terræ & ipse Rectores suscitat, & Regna à Gentibus in Gentes trsnsfert. En inter admirandos casus se hic inserit suo exemplo Philippus II. Hispaniarum Rex, qui Emanueli XIII. in Regnum Lusitaniæ, à quo eum viginti duo liberi ejus arcebant, succesit,

omni-

omnibus Fato prius absumptis, favore Numinis & inevitabili Providentiæ Lege ad Successionem vocatus. Ergo ut in hoc negotio, ita in cæteris actionibus, quicunq; Principum rectam rationem voluntati circumdederint, hanc felicitatem vastæ Fortunæ addent, ut turbis per vitam careant, molestias & acerba suspicionum ad lætioris Imperij compendia non admittant.

Cæterum quem calamo stylum permisi, nemo arbitretur in spem gloriæ aut ambitione feciſſe: cum erecta mens bonæ tantum conscientiæ pretio ducatur nec mihi tantum virium ingenij aut apparatus Iudicij: ut Censuram morum aut publicum Pedagogum agere possim, sed referre ea quæ depravatum Reipub: statum in exitium fatigant, ad fidem potiùs & obsequium Boni Civis in Patriam, quam arrogantiam morum referri puto. nec id Piascecio aliisue scriptoribus dedecori aut obtrectationi fuit. Adeo cum vitia alantur vivantque tegendo: ijsdem temporibus optimè perstrin-

ſtringu ntur, quibus facillimè gigruntur. Denique quæ ſcripta ſunt; ne nimium Authori placuiſſe videantur, ipſe ea niutationis temporum, ſortis, Caſuſuè Fatorumuè Cenſuræ libenter ſubmitto. ram dum Fata volunt, perit omnis venturi promiſſa fides

Sapius& Fortuna latos dat mala Cauſa dies.

FINIS.



ERRATA CORRIGE

Litera P. Paginam & Litera V. Versum denotat.

ERRATVM	CORRECTVM
Pagina 4. V. 16 Deputatus facinus	Lege Deputatus tantum facinus
P. ead. V. 20 Opere - -	Lege ope.
P. 12 V. 5. supremus - -	Lege supremos
P. ead. V. 7. ubi enim -	Lege ubi modum,
P. 13. V. 20 nam si ad gloriam	Lege nam si id ad gloriam
P. 14. V. ultimo adductiores	Lege addictiores.
P. 15 V. 15. resignandi -	Lege reserandi.
P. 17. V. 11. à vali - - -	Lege à validis.
P. 21 V. 20. affectio - - -	Lege affectatio,
P. 23. V. 10 sic acerrima - -	Lege si acerrima.
P. 31. V. 6, alterius obsequio -	Lege alterius Ducis obsequio.
P. 34. V. 21. accidendi - -	Lege abscindendi
P. 37. V. 17; cum Præfectis -	Lege cum præcipuis Præfectis
P. 38. V. 3 sed exactissimo -	Lege sed omnium exactissimo
P. ead. V. eod. vix pro - -	Lege vix non pro
P. 40 V. 18 ferendorum -	Lege & ferendorum.
P. 43. V. 1. Equesteri - -	Lege Equestri
P. 52. V. ultimo Notationes -	Lege Nationes
P. 71. V. 6. ad perfidia - -	Lege ac perfidia
P. 73. V. 5. Ministrorums -	Lege ministrorum
P. 87. V. 2. prout suo - -	Lege prout militi suo
P. 96. V. 22. illustratis - -	Lege illustritatis
P. 98. V. 22. & legibus - -	Lege Pactis & Legibus
P. 105. V. 6. Vrbs - - -	Lege Urbes
P. ead. V. 18. particibatione -	Lege participatione
P. 108 V. 1. actum - -	Lege auctum
P. 111. V. 10 Ludovidus -	Lege Ludovicus
P. 113. V. 15. conversionem -	Lege eversionem
P. 118. V. 10. illud - -	Lege id
P. 121. V. 17. Najestas - -	Lege Majestas

P. 125. V. 19 & quasvis - Lege ad quasuis
P. 131. V. 31. ctbu - - - Lege actu
P. 134. V. 15. præsentim - - Lege præsertim
P. 145. V. 17. accedent - - Lege accedente
P. 145. V. 20. quiuquenium - Lege quinquennium
P. 148, V. 7. Georgio in - - Lege Georgio Friderico in
P. 150. V. 4. Slachta - - Lege Slachtę
P. 151. V. 13. nasi o Biskupstwo Lege Nasi w Prawa o Biskupstwo
P. 163. V. 5. bservantia - Lege observantia
P. 165. V. 16. communibus - Lege omnibus
P. 168. V. 14. Kommisarzou - Lege Kommisarzow
P. 169. V. 17 de tradendai - Lege de tradenda
P. 177. V. 17. in tractatu - Lege in tractu
P. 180. V. 2. & Reipublicæ - Lege & Reipublicæ universæ
P. 182 V. Post subscript. 14 A. 1544. Lege Anno 1644.
P. 183. V. 10. eum probat - Lege comprobat
P. 190. V. ultimo. requisita - Lege requisitis
P. 191. V. 28. Fœuderatis - - Lege Fœderatis.
P. 192. V. 4. Fœuderatis - - Lege Fœderatis
P. ead. V. 6. ad contemptum Lege ad enitendum.
P. ead. V. 20. Stacts - - Lege Status
P. 193. V. 10 subditos - - Lege subitos
P. 197. V. 2. industia - - Lege Industria
P. ead. V. 9 Actor - - - Lege Author
P. ead. V. 12. Georgo - - Lege Georgio
P. sequenti in Margine - 98 Lege 193.
P, 200. V. 16 abducens - - Lege adducens
P. ead. V. 18 exidi - - Lege exigi
P. 202. V. 13. Mare Portus - Lege Mare & Portus
P. 203. V. 6 Consensum - - Lege concessum
P. 205 V. 3. Data - - Lege Datia
P. ead. V. 11, libertatis. - Lege liberalitatis
P. ead. V 22. Nos successores Lege Nos aut Successores
P. 207. V. 9. diem Pilavia - Lege die n in Pilavia
P, 208. V, 5. non nullis - - Lege à non nullis
P. ead. V. 11. præcipuè - - Lege præcipuæ

Pag

P. 212. V. 9. Nan - - Lege Nam
P. ead. V. 21. Gedanenſis - - Lege Gedanenſi
P. 219. V. 12. præcenſiſſet - - Lege præceſſiſſet
P. 220. V. 1. illius - - - Lege ullius
P. ead. V. 20. autiquitus - - Lege antiquitus
P. 221. V. 18. inſtituere - - Lege inſtruere
P. ead. V. 19 ineptis - - Lege ineptijs
P. 222. V. 11. Solliciti - - - Lege ſollicitos
P. 223. V. 5. proporportione - Lege proportione
P. ead. V. 19 diffractione - Lege diſtractione
P. 224. V. 2, eculeo - - Lege aculeo
P. ead. V. 9. Magiſtratum - - Lege Magiſtratus
P. 225 V. 3. nihil illis - Lege nihil juris illis
P. ead. V. 9. Calidum - - Lege callidum
P. ead. V. 20. vita - - - Lege vitia
P. 227. V. 5 & 6. Domino Miris - Lege Dominio maris
P. ead. V. 12 Municionibus. - Lege Munitionibus
P. 233. V. 14. effectus - - Lege affectus
P. 234 V. 22. partimanij - - Lege Patrimonij
P. 235. V. 19. Caſtrum Mariæburg. Lege Caſtrum noſtrum Mariæburg
P. 236. V. ultimo Kautelariiss - Lege Kautelarijs
P. 238 V. 2. Stzycki - - Lege Strzycki
P. ead, V. 4. & Decerti - - Lege & Decreti
P. ead. V. 12. Poſſionem - - Lege Poſſeſſionem
P. ead. V. 20. exigendi - - Lege adigendi
P. 242 V. 21. paterent - - Lege peterent
P. 243. V. 9. uertero - - Lege verterunt
P. ead. V. 22. Nocilem - - Lege Nobilem
P. 244. V. 7. deſpetu - - Lege deſpectui
P. 245. V. 7. Nobilitatis - - Lege Nobilitas
P. ead. V. 21. fraudit - - Lege fraudis
P. 246 V. 1. maleicum - - Lege Maleicium
P. ead. V. 11. Huit - - - Lege Huic
P. ead. V. 16. conſilia - - - Lege conſilia
P. ead. V. 21. concines - - Lege conciones
P. 247. V. 4. extrema - - Lege extrema

P. ead.

P. ead. V. 8. RIGIS - - Lege REGIS
P. 248. V. 3. sufflaminebatur Lege suframinabatur
P. ead. V. 21. sententiam - Lege sententiam
P. 249. V. 3. gerant - - Lege ingerant.
P. 250. V. 9. extradas - - - Lege extradat
P. ead V. 27 Nec - - Lege Ne
P. 251. V. 13. carcere - - Lege carceret
P. 253. V. 18. dromata - - Lege promota
P. ead. V. 19. undarum nomen Lege undarum natura nomen
P. ead. V. 22. idemq, - - Lege fidemq;
P. 254. V. 2. Regi - - - Lege Regia
P. ead. V. ultimo Civitates - Lege Civitatis
P. 255. V. 1. in egrediente - - Lege in, &, egrediente
P. ead. V. 22. iacinore - - Lege facinore
P. 256. V. 2. Portori - - Lege Portorij
P. ead. V. 3. ipsis - - - Lege ipsi
P. ead. V. 6. Teloneo - - Lege Telonea
P. ead. V. 16. alienalibus - - Lege alienabilibus
P. 257. V. 3. causæ incursionem Lege causâ incursionum
P. 258. V. 1 Repub. - - - Lege Reipub.
P. 261. V. 18. tandem - - Lege grandem
P. 262. V. 14. hac occasione - Lege hâc etiam occasione
P 264. V. 18. ad ura - - - Lege ad jura
P ead. V. 19. ac Magistratuum Lege ad Magistratuum
P 265 V. 10. Episco - - Lege Episcopatu
P ead. V. 11. uia per - - Lege viâ quàm per
P 266. V. ultimo constitutorum Lege constitutionum
P. 267. V. 12. a mennonistis - Lege at Mennonistis
P. 268. V. 9. intercedit - - Lege interdicit
P. ead V. 17. navigalibus - - Lege Navigabilibus
P. ead. V. 18 navigalibus - - Lege navigabilibus
P. ead. V. 19 Domino - - Lege Dominio
P. 272. V. 7. decore - - Lege dedecore
P. 273. V. 4. illud - - - Lege illum
P. 274. V. 6, juribus supremis - Lege juribus suis supremis
P. 276. V. 4. quuando - - Lege quando

P. 279. V. 18. Dominum - - Lege Dominium
P. 282. V. 18. ad visum - - Lege ad usum
P. 283. V. 8. Ecclesia - - Lege Ecclesiæ
P. 286. V. 12. secordia - - Lege socordia
P. 289 V. 2. Iustitura - - Lege Institutæ
P. 290. V. 19. Principe - - Lege Principes
P. 291 V. 11. possis - - - Lege possit
P. ead. V. 15. doloso - - Lege dolosè
P. 292. V. 15. cum ipso - - Lege cum nè in ipso
P. ead. V. 21. extriplici - - Lege unde ex triplici
P. ead. V. 22. Senator - - Lege Senatorio
P. 293. V. 6. lebecense - - Lege Lubecense
P. ead. V. 9. trigenta - - Lege triginta tres
P 294. V. 12. anologia - - Lege analogi
P. 293. V. 21. ab utriusq; - - Lege ab utrisq;
P 302. V. 14. Coronæ - - Lege Coronæ
P. 303, V. 4. enunciati, - - Lege enunciantis
P. ead V. 5. propriè - - Lege propè
P. ead. V. ult. transcribent hæreditatem - Lege transcribent hæreditatem
P 305. V. 3. arcibus - - - Lege aeribus
P. ead. V. 19 Consecrationi - Lege conservationi
P. 308. V. 2. proprior - - Lege propior
P. 309. V. 2. & externas - Lege & extremas
P. 310. V. 9. non admittant - Lege non admittant.

Reliquos minoris momenti errores, prudens legendo corriget Lector.

In

In Reimpreſsâ Filurâ prima hi ſunt errores.

Erratum	Correctum.
In 3tia Facie Verſu 20 felcitatis	Lege felicitatis
In 5ta facie Verſu 3tio juficium	Lege judicium
Ibidem Verſu 18 ſundamenta	Lege fundamenta